
MAXIMILIANO. ARCHIDVCI
AVGG. FILIO
AVGVSTI. FRATRI
S. R. I. ELECTORI
DVM. VERGENTE. PRAETERITO. MDCCLXXXIV. POST
CHRISTVM. NATVM. ANNO. INTERPOSITIS. PER
SINGVLOS. ECCLESIASTICORVM. ORDINVM
GRADVS. SPIRITVALIVM. EXERCITIORVM
IN. SACRO. SECESSV. INTERSTITIIS. SVMMA
RELIGIONE. AC. INCOMPARABILI. EXEMPLO
SACRIS. INITIATVS
COLONIENSIS. ARCHIEPISCOPVS. INAVGVRATVR
ANNO. HOC. MDCCLXXXV. DIE. VIII. MAII
QVANDO. ASCENDENS. CHRISTVS. IN. ALTVM
CAPTIVAM. DVXIT. CAPTIVITATEM
DEDIT. DONA. HOMINIBUS
IPSO. PER. ARCHIMYSTAM. SUUM. IN. METROPOLI
PENTECOSTES. FESTO
DIE. XV. MAII.

OSSA. ETIAM. ARIDA
AVITI. LOTHARINGICI. STEMMATIS
APVD. D. BLASII. IN. NIGRA. SILVA
SECVLO. XI. CONDITA
AD. SANCTVM. EXVLTANT. NOVAE. SPONSAE
ECCLESIAE. AGRIPPINÆ. EPITHALAMIVM
LAETAQUE. RESONAT. ECHO
SECVNDO. EX. ANTERIORE. AVSTRIA. RHENO.
REDDIT. HVMILLIMVS. STATVS. ECCLESIASTICI. PRAESES
MARTINVS. GERBERTVS.

PRÆFATIO.



osteaquam *Habsburgo-Austriacorum* Principum eorumque coniugum ac filiorum cadavera ex ecclesia cathedrali *Basileensi*, & monasterio *Kœnigsfeldensi* in *Helvetia*, funere celebri anno 1770. essent in vicinam *Nigram Silvam* monasterium *D. Blasii* translata, ad recens conditorium, quod in nova ecclesia post conflagrationem veteris an. 1768. iam parari cœptum fuerat; simul animus adiectus est, ut gentilitio conditorio comitum de *Rhinfelden*, quod sec. XI. illustre hoc germen augustæ stirpis *Lotharingicæ* in monasterio *D. Blasii* habebat, locus in eundem nova ecclesia prope *Habsburgo-austriacum* destinaretur, eo opportunius, quod sit una eademque satore ETHICONE I. circa an. 666. *Alsatiæ* Duce a sodale meo P. *Marquardo* HERRGOTT data opera in *genealogia Habsburgica* demonstrata utriusque augustæ gentis *Lotharingicæ*, & *Habsburgicæ* origo.

Igitur ossa, quæ erant sub arcu studiose concamerato ad latus Evangelii sacelli *S. Nicolai* (ubi primum fuerat olim ecclesia *S. Michaelis* cum cœmeterio) decenter e veteri suo requietorio eum in finem (prout ibidem promiscue cum nonnullis aliis condita iacebant) sunt elevata. Fuit hæc prima quidem huius commentarii occasio, neque tamen potissima causa.

Notavi in *Itinere Alemannico*, cum in *Murensi* monasterio agerem, codicem historicum, quo breve primum chronicon le-

gitur, quod manifeste se prodit a monacho *San-Blasiano* esse scriptum; quem tunc CUNONEM esse suspicatus fueram, auctorem chronici *Burglensis* monasterii a P. *Rusteno* HEER editum an. 1755. facile vero in eam sententiam concessi, quæ iam communiter asseritur, esse illud B. FROWINI abbatis sec. XII. evocati e monasterio *S. Blasii* ad *Engelbergense* in *Helvetia*, ubi idem codex habetur eadem manu scriptus, quam ipsius S. FROWINI esse putant, quibus utrumque & alios item, qui plures supersunt, ab eodem beato abbate conscriptos oculis usurpare licuit, experientissimus imprimis harum rerum P. MAURITIUS *van der Meer*, auctor breviarii historici *Rhenaugiensis* sui monasterii. Is una eademque manu etiam adiectam collectionem chronicorum exaratam coniicit non obstante minutiore charactere, quo perscriptum est præmissum in eo codice breve chronicon, eoquod scriptor spacio sese coarctaverit, quod sibi liber epactorum reliquit, cui inseruit chronicon suum; cum potuerit scribendo libere exspaciari in altero, in quo præter Ven. BEDÆ posteriorem historiæ partem, cætera sunt REGINONIS *Prumiensis abbatis Domini* HERMANNI *Contracti*, *discipuli eius* BERTHOLDI, *atque domni* BERNOLDI *presbyteri S. Blasii.* Inter annos 1053. & 1054. hæc adnotantur: *Hucusque chronica* HERMANNI, *abhinc* BERCHTOLDUS. Sequiturque mox vita HERIMANNI, quæ (præter prima hæc verba, HERIMANNUS, *qui & heros magnus, religiosi comitis* WOLUERADI *filius ab ineunte ætate in exteriore homine passione paralytica omnibus membris dissolutorie contractus*) in utraque continuatione HERMANNI inter URSTISII scriptores Rer. *Germ.* desideratur, quarum una ad an. 1066. tantum progressa, BERTOLDO utique (quo

HER-

HERMANNUS non tam discipulo quam amico familiarissimo usus hodægo ad beatam vitam patreque spirituali an. 1054. extremo morbo decumbens, tum lucubrationes eidem etiam suas emendandas commendavit) magis convenit, quam altera, in qua auctor se primum an. 1084. ad sacerdotium promotum testatur, atque ad annum 1100. &c. usque procedit in editione URSTISII; in codice *Murensi* vero anno 1091. desinit; ut tamen tam in edito, quam Msc. *Murensi* eadem in finem usque ad verbum legantur ab an. 1080. quo RUDOLPHUS anticæsar occubuit, cuius partes secutus auctor, deinceps sibi temperandum atque anteriora quoque ea abbrevianda moderandaque duxit, quæ res tum RUDOLPHI, tum GREGORII VII. P. cum HENRICO, propius attingunt, suntque in cod. *Murensi* copiosissima ab eo præsertim tempore, quo adversas HENRICI partes amplexus est RUDOLPHUS, atque HENRICUS palam GREGORIO pontifici est adversatus.

Omnino hæc BERNOLDO presbytero *S. Blasii* congruunt, cuius inedita opera alia dabimus occasione: qui fuerat GEBHARDI episc. *Constantiensis* legati apostolici theologus, & pœnitentiarius apostolicus. Sicque etiam vocantur *Chronica* BERNOLDI, *quæ contradidit monasterio Domini Salvatoris* in Msc. *Monacensi*, quod pro autographo habet OEFELIUS vulgati sub BERTOLDI *Constantiensis* nomine ab URSTISIO chronici, ediditque T. I. Script. Rer. *Boicarum* T. I. p. 643. variantes lectiones non admodum copiosas; nec quidquam eorum continentes, quæ iam meminimus amplissima narratione haberi in cod. *Murensi*, quæ rem nempe HENRICI IV. attinent, cum GREGORIO VII. præsertim & RUDOLPHO nostro. Unde pa-

 lam

Iam fit ex hactenus dictis BERNOLDUM chronicon suum duxisse retractandum prout *contradidit* illud *monasterio Domini Salvatoris* Schafhusii nimirum, quo BERNOLDUM nostrum ex monasterio *S. Blasii* extrema vitæ ætate migrasse, mortuum & sepultum item esse, chronicon illius monasterii testatur, quod Msc. in monasterio *Rhenaugiensi* servatur. In aliis autem monumentis mors eius ad an. 1100. notatur, quousque eius chronicon decurrit apud URSTISIUM perinde ac OEFELIUM ad autographum ex monasterio *S. Salvatoris* in electoralem bibliothecam translatum, prout ab ipso auctore resecta sunt ea omnia, quæ amplissima in inedito Msc. *Murensi*, quod delatum illuc est ex monasterio *S. Blasii*, ubi monachum egit BERNOLDUS, leguntur, atque huic nostro commentario copiosam materiam subministrarunt tum de rebus RUDOLPHI, cum etiam GREGORII VII. tantopere passim apud modernos scriptores exulceratis, quod nempe desperatis rebus desperata remedia adhibuerit, atque inconsulta apud nos posteros (qui res modis atque circumstantiis omnibus explicitis præ oculis habemus) consilia non excommunicati solum, sed etiam depositi HENRICI IV. *Romanorum* regis. Constabit vero hic non tam suo, quam principum Imperii *Germanici* arbitrio post tot ac tantas tergiversationes longasque cunctationes egisse pontificem.

RUDOLPHI porro familiam quod spectat, in alio Msc. eiusdem monasterii *Murensis*, paucis quidem verbis veluti digitus intenditur ad amplissimam comitum de *Rhinfelden* prosapiam undequaque *illustrem*, quo tunc axiomate non nisi agnati regum & Imperatorum gloriari poterant. Memoratur quippe in celebratissimis actis fundationis monasterii *Murensis* CUNO RUDOLFI

no-

nostri pater, ceu frater uterinus ITTÆ, e *Lotharingiæ* Ducum stirpe RADEPOTONI *Habsburgico* coniugis accitæ. De utraque augusta familia *Habsburgo-Lotharingica*, quæ seculo iam septimo unam agnoscebat stirpem, nostra ætate auspicatissimo post iterata alia, a nobis in libro *de translatis Habsburgo-Austriacorum principum cadaveribus ad conditorium novum monasterii S. Blasii* p. 47. indicata, connubio inter FRANCISCUM I. Imp. & M. THERESIAM postremum *Habsburgo-Augustriacum* surculum iterum coniunctam, multa utro citroque hactenus sunt disceptata; nuper vero feliciter collatis actis his *Murensibus* cum actis fundationis monasterii *Bosonisvillani* in *Lotharingia* a *Hieronymo* VIGNIERIO primum editis in opere Gallico *la veritable Origine des tres illustres maisons d'Alsace de Lorraine, d'Autriche, de Bade* &c. *Parisiis* an. 1649. nova fax a P. *Hugone* SCHMIDFELDIO meo ante quinquaginta propemodum annos magistro, dum hæc scribo, pie in domino defuncto, accensa est, ad disturbandas non solum illas, turbidas quoque nonnullo tempore, nebulas, fidemque anonymo *Murensi* restituendam, verum etiam in apricum deducendam, quod hic agimus nunc, comitum de *Rhinfelden* prosapiam ex *Ethiconea* Ducum *Alsatiæ* stirpe, EBERHARDO IV. patre ADALBERTI I. marchionis *Lotharingiæ*, & GERARDI I. comitis, cuius filia GISELA uxor fuit GERARDI II. mater numerosæ prolis, S. KUNEGUNDIS *Luxenburgicæ* ex sorore EVA GERARDI I. uxore neptis: dum ad hæc materna comitum de *Rhinfelden* prosapia cum RICHWARA *Oeningana* OTTONIS M. Imp. nepte familiæ Imperatorum *Saxonicæ* esset innexa; quemadmodum etiam *Salicæ* per ADELHEIDEM ADALBERTI I. & GERARDI I. soro-

rem ex primo matrimonio cum HENRICO *Franconiæ* duce (quæ ex ſecundo cum CONRADO comite *Franciæ* Orientalis genuit EBERHARDUM, comitum de *Hohenlohe* ſtipitem) CONRADI *Salici* matrem: & iterum in ipſo RUDOLPHO noſtro per MATHILDEM primam uxorem, HENRICI III. Imp. filiam, quarti ſororem; per ſecundam vero uxorem ADELHEIDEM, BERTHÆ uxoris HENRICI IV. ſororem, illuſtri *Italiæ* & *Taurinenſium* comitum, atque *Sabaudico Burgundico*que ſtemmati fuit coniuncta hæc familia. Dum eodem adhuc ſec. XI. ad quod pleraque pertinent iſta, gens demum *Zaringica* aucta fuit paterna comitum de *Rhinfelden* hæreditate, nupta a BERTOLDO II. AGNETE, una ſuperſtite RUDOLPHI filia poſt mortem BERTOLDI & ODDONIS filiorum, ac filiæ ADELHEIDIS religioſiſſimæ, ad aviæ & matris cognominum inſtar, fœminæ, matrimonio iunctæ S. LADISLAO *Hungariæ* regi, ſancto regi & apoſtolo *Hungariæ* STEPHANO haud degeneri: religioſa familia veluti in ſanctis exſpirante, perinde ac auſpicium ſumſerat ex BARSWINDA S. LEODEGARII matertera, S. ODILIÆ matre.

Integræ & religioſæ vitæ laudem fama perennans, coætaneique teſtes ad unum fere omnes, niſi hoſtes admodum, RUDOLPHO tribuunt: qui quod fecit contra ſocerum, egit invitus, ſuſcepitque contra HENRICUM R. Sceptrum diu reluctatus, fruſtra a principibus Imperii ad diem ſaltem petita deliberandi facultate, quæ aliaque ſequens rerum geſtarum narratio reddet manifeſta.

ELEN-

ELENCHUS
DE RUDOLPHO COMITE DE RHEINFELDEN, DUCE ALEMANNIÆ, ANTI-CÆSARE, DEQUE EIUS FAMILIA APUD D. BLASII SEPULTA.

CAPUT I.
Gesta RUDOLPHI, Comitis de *Rheinfelden*, Ducis *Sueviæ*.

CAPUT II.
Facta & Fata RUDOLPHI Anti-Cæsaris.

Anno

CAPUT III.

Familia Comitum de *Rhinfelden* apud *D. Blasii* sepulta.


§. I.

CAPUT IV.

De *Friderico* ROCKE Comite de *Diessen* seu *Andechs* apud *D. Blasii* sepulto.

§. I.

DE



DE RUDOLPHO
COMITE DE RHEINFELDEN, DUCE ALEMANNIÆ, ANTICÆSARE, DEQUE EIUS FAMILIA APUD D. BLASII SEPULTA.

CAPUT I.
GESTA RUDOLPHI, COMITIS DE RHEINFELDEN, DUCIS SUEVIÆ.

§. I.



Augusta Rauracorum, inclita quondam illa *Romanorum* colonia munimentumque adversus *Alemannos*, quemadmodum ruina sua *Basileam* excitavit, ita etiam *Rhenofeldæ*, inter quatuor urbes silvestres ad *Rheni* litus paucis a se leucis distantes præcipuæ, ortum dedisse, lentum quidem, verisimile ad-

Incunabula urbis *Rhenofeldensis*.

admodum eſt. Ad *Zaringiæ* profecto duces originem eius haud eſſe referendam, vel inde palam fit, quod ad hos temporum demum ſucceſſu illa tractus *Rauracorum* ditio pervenerit, a comitibus ſcilicet de *Rheinfelden:* ex quibus RUDOLPHUS dux *Alemanniæ*, & HENRICO IV. ab optimatibus Imperii oppoſitus Cæſar, ceu argumentum huic tractationi propoſitum eſt

Comitum de *Rheinfelden* familia ob unumfere RUDOLPHUM ducem memorabilis.

II. Quæ de familia comitum de *Rheinfelden* certa ſunt & explorata, vix ſpatium unius ſeculi excedunt: quidquid vero de rebus geſtis memoratu dignum eſt, ad unius RUDOLPHI hiſtoriam redigitur. Hunc BURCHARDUS de caſibus monaſteri *S. Galli* cap. 7. apud GOLDASTUM a) *ducem de Rinfelden* adpellat, qualis etiam nominatur in diplomate HENRICI V. an. 1125. apud P. HERRGOTT b), quo donatio prædii *Slocſe* monaſterio
a b *S. Blaſii* facta confirmatur; hunc tamen *ducis* titulum ob ducatum *Alemanniæ* ſeu *Sueviæ* obtinuit, cuius pars erat comitatus *Rheinfeldenſis*.

Sunt, qui eumdem hunc comitatum etiam in *Franconia* quærant: quos inter *I. Sam.* STRAUSSIUS in *Poſitionibus hiſtoricis*
c *de Rudolpho Suevico anticæſare* c) arcem *Rheinfels*, oppido *S. Goaris* incumbentem, videtur confundere cum noſtra illa, urbi *Rheinfeldenſi* adhærente: cui ſaltem eamdem nominis originationem
d tribuit noſter P. HERRGOTT d) a rupe, cui utraque impoſita eſt. Alii huc revocant loca cognomina prope *Swinfurtum* in *Franconia*, ideo forte, quod RUDOLPHUS iſte cum ducatu *Sueviæ* illas quoque in *Franconia* ditiones acceperit an. 1057. vel ſequente, quo mortuo OTTONI de *Swinfurte* ſucceſſit.

III.

a) *Rer. Alem.* T. I. P. I. p. 71.
b) Geneal. *Habsb.* diplom. T. II. P. I. p. 137.
c) Pag. 5.
d) Geneal. diplom. T. I. p. 62.

III. Iuvat vero hic nonnihil recenſere veterum ſcriptorum hanc in rem teſtimonia. Hos inter LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* ſynchronus ad an. 1058. apud PISTORIUM a) OTTO, ſcribit, *de Swinfurde dux Suevorum obiit. Ducatum eius* RUDOLPHUS *obtinuit; & ut regi in dubiis tunc rebus ex affinitate devinctior, fideliorque in rempublicam foret, ſoror quoque regis ei deſponſata eſt, tenera adhuc ætate, traditaque eſt epiſcopo Conſtantienſi nutrienda, dum thoro coniugali matureſceret.* Atque hanc ipſam cauſam eſſe putaverim, cur in aſſignando obtenti ducatus anno tantopere diſcrepent ſcriptores. In chronica quippe *Auguſtenſi* annus 1059. aſſignatur apud FREHERUM b), repoſita ad annum præcedentem morte OTTONIS de *Swinfurt.* HERMANNUS Contractus in chronico ad an. 1057. OTHO, ſcilicet dux Alemannorum, *obiit, cuius ducatum* RUDOLPHUS *accepit.* Et ad an. 1059. RODOLPHUS *Alemannorum dux* MATHILDAM HENRICI *regis ſororem duxit uxorem.*

RUDOLPHUS dux *Sueviæ* renuntiatus & *Burgundiæ.*

a

b

CONRADUS abbas *Urſpergenſis*, ſeu potius ECKARDUS ex monacho *Hirſaugienſi* abbas *Uraugienſis*, ad an. 1057. omnia articulatius proſecutus, etſi RUDOLPHO infenſus, cauſam tamen reticet, cur epiſcopo *Conſtantienſi* commendata fuerit MATHILDIS, ita effatus: c) OTTO *de Swinfurte dux Suevorum IV. Kal. Octobr. obiit, &* RUDOLPHUS *de Rinvelden, qui poſtea rex eſſe contendit, ducatum accepit, quod magnum fuit ſeminarium earum, quibus regnum perturbatur, commotionum. Eumdem namque ducatum, vivente adhuc* OTTONE *duce,* HENRICUS *imperator* BERTHOLDO *comiti, qui poſt Carinthiorum accepit ducatum,* c

a) T. I. pag. 324.
b) T. I. Script. Rer. *Germ.* p. 498.
c) ECCARD. Corp. hiſt. med. ævi T. I. p. 489. 905. &c.

promiſerat, eique annulum ſuum velut huius rei commonitorium dederat: quem ille diligenter ſervans poſt amborum obitum, imperatoris ſcilicet & ducis, imperatrici AGNETI *imperium tunc diſponenti obtulit, eamque annulum agnoſcentem pro ducatu ſibi promiſſo commovit. Sed quia prædictus* RUDOLPHUS *mox poſt imperatoris obitum filiam eius*, RUMOLDO *Conſtantienſi epiſcopo commendatam, utrum conſilio raptam an dolo neſcitur, uxorem duxit, recepto iam in gratiam eumdem ducatum illi cauſa filiæ imperatrix dedit, quod animum* BERTHOLDI *non parum commovit.* Quæ eadem apud annaliſtam *Saxonem*, & in chronica regia S. PANTALEONIS apud ECCARDUM leguntur.

a In eadem poſtea ad annum 1075. a), & apud laudatum *Urſpergenſem* ſeu *Uraugienſem* abbatem, ac TRITHEMIUM RUDOLPHUS non ſemel dux *Alemanniæ* ſeu *Sueviæ* & *Burgundiæ* nominatur, atque apud SIGEBERTUM *Gemblacenſem* ad annum 1077. dux *Burgundionum.* Quam quidem provinciam filiæ veluti in dotem a matre AGNETE datam fuiſſe WALTRAMUS
b *Naumburgenſis* b) teſtatur: *Tum quidem*, inquit, *erat* RUDOLPHUS *dux Suevorum, cui etiam dederat* HAGNA *imperatrix cum regno Burgundiæ filiam ſuam in coniugium.* Legi hac de re meretur
c *Dan.* SCHOEPFLINUS in hiſtoria *Zaringo-Badenſi* c) itemque
d charta *Ruegisbergenſis* d). Nec ea res latuit CRUSIUM, qui in
e chronico *Sueviæ* e) id interpretatur de *Uchtlandia*, ſeu *Burgundia* minore, *Sueviæ* tunc accenſita: cuius rectoratum poſtea, extincta RUDOLPHI maſcula prole, cum eius filia AGNETE *Zaringi* acceperunt.

IV.

a) L. c. p. 907.
b) De unitate eccleſ. Lib. II. c. 16.
c) T. I. p. 173. &c.
d) Ib. T. V. p. 22. &c.
e) P. II. lib. VII. c. 9.

IV. Felix igitur fuit animorum BERTHOLDI *Zaringensis* & RUDOLPHI *Rheinfeldensis* reconciliatio, temporum successu mutuo quoque prolium connubio firmata: quum econtra inconstantia HENRICI IV. imperatoris, qui ad leniendum BERTHOLDI animum eum *Carinthiæ* ducatu auxit quidem, postea autem filio eius rursus ademit, res semper in peius ruerent, deiecto quoque paullo post OTTONE *Baioariorum* duce. Rem vero totam hic referam ex abbate *Urspergensi* seu *Uraugiensi* potius, quam ex vulgato Annalista *Saxone*, seu chronica S. PANTALEONIS; qui invicem quidem conspirant, *Urspergensis* autem antiquioris manuscripti *Vindobonensis* litteræ pressius inhæret, impenseque HENRICI partibus favet: in quo uno veluti obtutu ex concordi horum Annalistarum sententia oculis obiicitur tota illa tragœdia, quam hic explicari res RUDOLPHI nostri exposcunt.

Inde BERTHOLDUS *Zaringensis* irritatus, variisque de causis HENRICO IV. infensi alii principes.

Postquam igitur, ut iam memoravimus, animum BERTHOLDI, ducatus obtinendi spe frustrati, commotum dixisset. „Pro „qua commotione (pergit) lenienda ducatus *Carinthiorum* ei „committitur, quem postea filio suo æquivoco ipsius rogatu „rex HENRICUS commisit: sed postmodum quorumdam in„stinctu eumdem ducatum LUITOLFO consanguineo suo dedit, „sicque patrem & natum parvipendens offendit. Unde quasi „renovata priore iniuria quum BERTHOLDUS dux permoveretur, omnia consiliorum machinamenta, quibus satis pollebat, „ad hoc vertebat, ut ab utroque, id est, rege & RUDOLPHO „se ulcisceretur: ab hoc scilicet, quoniam a ducatu sibi promis„so se supplantavit; ab illo vero, qui se accepto privavit. „Multæ interim causæ, quæ inconsulte tunc gerebantur, sibi

„concurrebant, & huic machinationi occaſiones præbebant. „OTTO dux *Baioariorum* deiicitur. CHUNRADUS, genere *Suevus*, a militibus regis interficitur, & quaſi a rege iuſſum ſit, „ipſi crimen indicitur. Conſpirat igitur OTTO in *Saxonia*, BERTHOLDUS in *Suevia*. Fiunt motus & conventus utrobique, „in quibus odia in regem ſuſcitantur & invidiæ: multa quoque „in regno fiebant, quæ utroſque populos iuſtis & neceſſariis, ut „videbatur, cauſis, ne regi adhærerent, avertebant, eoque res „perducta eſt, ut RUDOLPHUS in damnationem ſui regnum „invaderet, dominumque ſuum regem deponere aut interficere „quæreret. Sed hæ res quem effectum haberet, nec ruſticos „latet.“

HENRICO infante ſub AGNETIS matris tutela ſoror eius prima RUDOLPHI uxor obit.

V. Verum res iam quaſi ab incunabulis, ſeu infantia HENRICI IV. reſumenda eſt. Hic ad ſumma quæque natus videri poterat, atque ad imperii gubernacula moderationemque præprimis aptus, iis inſtructus naturæ dotibus, quas in eo quivis ſuſpiceret & admiraretur. *Pluribus teſtibus comprobare poterimus*, inquit abbas Urſpergenſis ſeu Uraugienſis, *quod nemo noſtris temporibus natu, ingenio, fortitudine & audacia, ſtatura etiam totaque elegantia corporis videretur faſcibus imperialibus ipſo aptior*. Defuncto patre HENRICO III. necdum ſextum ætatis annum emenſus, curæ matris AGNETIS incomparabilis matronæ commendatus a principibus fuerat, qui ei iam imperium *Germanicum* crediderant. *Summa tamen rerum*, ſunt verba LAMBERTI *Schaffnaburgenſis* apud PISTORIUM a), *& omnium, quibus facto opus erat, adminiſtratio penes imperatricem remanſit, quæ tanta arte periclitantis reipublicæ ſtatum tutata eſt, ut nihil in ea tumultus, nihil ſimultatis tantæ rei novitas generaret.* Interim

a) T. I. Script. rer. *Germ.* p. 322.

terim RUDOLPHO noſtro mox altero poſt nuptias anno 1060. ut notat continuator HERMANNI *Contracti* apud URSTISIUM a) uxor MATHILDA *ſoror regis obiit.* Is dein ſecundis nuptiis ADELHEIDAM ſibi copulavit, de qua plura poſtea, utpote ad *D. Blaſium* cum duobus filiis apud avum ſuum CUNONEM ſepulta.

HENRICI matre erepti nomine rem an. 1063. RUDOLPHUS in Helvetia agit.

VI. HENRICUS anno 1062. matri dolo ereptus eſt, ut paſſim apud chronographos ad hunc annum legitur, ob invidiam potiſſimum HENRICI *Auguſtani* epiſcopi, qui anno mox ſequenti obiit, b) cuiusque opera & conſilio maxime uſa fuerat AGNES. HENRICUS autem, ut ad eumdem an. 1063. narrat LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* c), *Hungariam cum exercitu ingreſſus,* SALOMONEM *in ſolium patris reſtituit, iuncta ei in coniugium ſorore ſua: ablatisque omnibus, quæ regi ſcrupulum movere, vel regni ſtatum labefactare poterant, in pace remeavit ad Gallias.* Haud infrequens eſt apud ſcriptores medii ævi, ut *Germanicum* imperium in *Gallias* uſque ſeſe protendens *Galliarum* quoque nomine compellarent. d)

Illic

a) Script. *Germ.* P. I. p. 337.
b) Ibid. p. 338. c) L. c. p. 330.
d) Iuvat hic ad rem locum anonymi ſec. XII. adoleſcentis exſcribere, qui chronicon Mſc. monaſterii *Petersbuſani* ita auſpicatur: *Tres diſtinctiones Galliarum eſſe memorantur. Una ſiquidem Gallia comata, quæ & Italia, quam Longobardi atque Romani incolunt, vocatur, eoquod Italici antiquitus comas præ aliis nationibus diligentius nutriebant. Sive ideo Comata dicitur, hoc eſt ornata, quod Romana urbe, quæ faſtigium imperii totius orbis retinebat, decoratur. Alia vero Braccata Gallia, quam Theotonici inhabitabant, ideo nominatur, quoniam Theotonici braccis ſive femoralibus plus aliis gentibus utuntur. Tertia autem Togata Gallia pro eo nomen accepit, quod huius provinciæ incolæ togis, id eſt, veſtibus diverſi coloris, & uſque ad calcaneum pertingentibus coutuntur, adeo, ut hac tabe etiam alias circumpoſitas infecerint nationes. Et hæc quidem, ut diximus, antiquitus ſingularum provinciarum erant propria, nunc autem ſingularum ſunt communia.* Legenda quoque hac de re eſt *Ægidii* TSCHUDII *Gallia Comata.*

Illic terrarum eo anno erat prope *Burgundiam* RUDOLPHUS noster, cui HENRICUS negotium in extremitate *Alemanniæ* apud *Helvetos* commiserat transigendum inter *Uranios* & *Glaronenses*, monasteriis *S. Hilarii* in *Seckingen*, & *SS. Felicis & Regulæ*, vulgo *Frauenmunster*, in urbe *Turicensi* vectigales. Servatur adhuc ibi eam in rem autographum diploma, sigillumque ex cera flava pergameno infixum, quod damus in appendice a viris Clariss. *B. Fideli* Lib. Bar. de ZURLAUBEN, & *Io. Henrico* SCHINZIO *Turicensi* transmissum, unaque ectypon nummi plumbei, qui apud ecclesiam *S. Crucis* prope urbem *Turicensem* inventus est, cuiusmodi id temporis haud rarus fuit usus. Huic nummo nomen urbis impressum legitur *Turecum:* antica facies media cruce signatur, circum verba: RUODOLFUS REX leguntur: in sigillo autem RODOLFUS SUE . . . DUX equestris cum vexillo conspicuus est.

RUDOLPHI ea in causa diploma *Turicense* vindicatur.

VII. Diploma quod attinet, occurrit equidem in autographo, quod oculis meis inspexi, omni ex parte, fide etiam notisque vetustatis integerrimum, error chronologicus. Signatum quippe est anno dominicæ incarnationis millesimo tertio, anno regni eiusdem (HENRICI IV.) VIIII. II. Non. *Maii:* quæ regni epocha HENRICI cum an. 1063. post elapsum iam pascha recte conciliatur; ut adeo defectus sit notarum chronologicarum LX. negligentia scribæ. Id quod neminem movet eorum, qui in studio
a antiquario versantur, eorumque primores MABILLONIUS a), BALU-

a) MABILLON. de re diplom. lib. II. c. I. ubi num. X. &c. speciatim agit de lituris, quæ sive in sinceris autographis quandoque notantur, sive etiam a temerariis interpolatoribus adiectæ sunt. *In his autem lituris*, inquit, *nemo æquitatis amans existimaverit, autographorum valori & auctoritati officere interpolatoris eiusmodi temeritatem.* Additur INNOCENTII III. infra a nobis citata auctoritas, nec non HONORII III. apud UGHELL. *Ital. sacr.* T. IV. col. 1301.

LUZIUS a), MURATORIUS b) ſtudioſe & ex profeſſo monuerunt, ne facile ob mendas chronographicas, ſive negligentia aut inſcitia ab ipſis ſcribis vel notariis primitus iam inſtrumentis veteribus inſertas, ſive a ſciolis aut inſcitis hominibus poſtea temporum tractu ſuperadditas, aut etiam raſuris invectas, diplomata vel chartæ temere reiiciantur. Aſſertum id eſt a triumviris iſtis, productis quoque in medium exemplis: quod ipſum imprimis etiam fecerunt Patres ex congregatione *S. Mauri* auctores noviſſimi tractatus de re diplomatica ſex tomis comprehenſi, quorum quidem quarto c), quæ hic paucis notavimus, pluribus ex inſtituto proſequuntur: ex quibus nonnulla hic adſcribere eo conſultius eſſe duximus, quod in brevi hac tractatione ſubinde recurrat locus, ubi opus ſit huius ipſius regulæ accommodatione. d) a b c d

VIII.

a) BALUZ. Maiſon d' *Avergne* T. I. p. 272.

b) MURAT. *Antiq. Ital.* T. III. col. 68. diſſert. XXXIV. de diplomatibus & chartis antiquis dubiis aut falſis.

c) P. II. Sect. V. c. 10.

d) Il y a eu par-tout des correcteurs mal aviſés, qui ont laiſſé dans les chartes des preuves de leur ignorance & de leur témérité. Faute d'entendre certains termes, & d'être verſés dans la chronologie, non ſeleument ils ont éfacé des chifres & des mots, ils ont encore ſubſtitué les leçons abſurdes aux véritables. C'eſt ainſi, qu'une main inconnue a corrompu les dates de pluſieurs diplomes accordés à l'abbaie de *S. Denis* par l'empereur LOTHAIRE. Dans une charte originale de l'abbaie de *Melun* donnée par le roi PHILIPPE I. on joint la XXXVIIII. année de ſon règne avec la MLXXXXVIII[e] de l'Incarnation. Quelque imprudent a éfacé un X de la dernière date, comme il eſt évident par la petite notice opiſtographe de la pièce. Ces ratures téméraires ont fait paroître fauſſes des chartes très véritables. M. MURATORI en donne deux exemples dans ſa 34[e] diſſertation (*Antiq. Ital.* t. 3. col. 68.) intitulée, *de diplomatis & chartis antiquis dubiis aut falſis.* Si des yeux perçans n'avoient pas découvert pluſieurs caractères éfacés par malice ou par étourderie; on n'auroit pas manqué de taxer d'impoſture bien des diplomes ſincères & authentiques. Dans tous les tems les notaires, les ſecrétaires du Roi & leurs commis ont fait des fautes dans les expéditions. Très-rarement les corrections en interlignes ſufiſent-elles pour convaincre de faux leur auteur. La préſom-

HENRICI matri erepti licentia inconsulto RUDOLPHO.

VIII. Vel hinc vero, ut ad nos redeamus, palam fit, atque mox amplius elucescet, RUDOLPHUM nostrum non obstante morte uxoris suæ MATHILDIS, quæ HENRICI soror erat, rem suam apud regem adhuc gratiosum egisse ceu ducem atque imperii optimatem. Nuspiam tamen legitur quidquam contulisse operæ cum illis principibus, quorum machinatione matri imperatrici subtractus fuit HENRICUS: quos inter apud Annalistam *Saxonem* ad an. 1062. aliosque, præter SIGEFRIDUM *Moguntinum* & ANNONEM *Coloniensem* archiepiscopos, OTTO dux de *Northeim* & ECBERTUS comes de *Bruneswic* numerantur. Culpa vero omnis aut præcipua saltem in devia prolabentis, atque in transversum acti principis, in ADELBERTUM *Bremensem* cadit: qui studia moresque improbos, quos ANNO *Coloniensis*, cui primum eformandus fuerat traditus iuvenis HENRICUS, vel simulatione quadam nutrierat, vel segnius coercuerat, studiose etiam fovisse est visus. Is primum in partem consilii assumtus, *tum propter claritatem generis*, ut loquitur LAMBERTUS *Schaffnaburgensis* ad annum 1063. a) *tum propter ætatis atque archiepiscopatus prærogativam, sæpius colloquendo, obsequendo etiam, atque assentiendo ita sibi regem brevi devinxerat, ut cæteris episcopis posthabitis totus in eum inclinaretur, & ipse in regno com-*

ption sur ces chefs est toujours en faveur de l'écrivain de la pièce, tant qu'on n'aporte pas de preuves convaincantes de supercherie &c. *Vid. l. c. pag.* 455. & *pag.* 457. *ita pergunt*: La rature ne rend la pièce suspecte, selon les docteurs, qu'aux endroits importans, raclés avec tant d'adresse, qu'il faut, pour s'en apercevoir, élever l'acte entre les yeux & la lumière du soleil. Cette rature même ne nuit pas à sa sincérité; dès qu'elle ne regarde que la narration. C'est la décision (*in can. de fide instrument.*) d'ALEXANDRE III. suivie pars les docteurs de l'un & l'autre droit. In en faudroit juger diféremment, si elle s'étendoit à des choses essentielles, ne consistant-elles qu'en un mot, en une syllabe, en une seule lettre.

a) Apud PIST. T. I. Script. rer. *Germ.* p. 330.

communi pene monarchiam uſurpare videretur. Secundas poſt eum partes agebat WERENHER *comes, iuvenis tam ingenio quam ætate ferox. Hi duo pro rege imperitabant: ab his epiſcopatus & abbatiæ, ab his quidquid eccleſiaſticarum, quidquid ſecularium dignitatum eſt, emebatur: nec alia cuiquam, licet induſtrio atque egregio viro, ſpes adipiſcendi honoris ullius erat, quam ut hos prius ingenti profuſione pecuniarum ſuarum redemiſſet. Id ab epiſcopis quidem & ducibus metu magis quam religione temperabant. In abbates vero, quod hi iniuriæ obviam ire non poterant, tota libertate graſſabantur, illudque præſeferentes, nihil minus regem in hos iuris ac poteſtatis habere, quam in villicos ſuos, vel in alios quoslibet regalis fiſci diſpenſatores. Et primo quidem prædia monaſteriorum fautoribus ſuis (prout libitum erat) diſtribuebant, & quod reliquum erat, crebra regalium ſervitiorum exactione uſque ad feces ultimas exhauriebant. Deinde convaleſcente audacia in ipſa monaſteria impetum faciebant, atque ea inter ſe tamquam provincias partiebantur, rege ad omnia, quæ iuſſus fuiſſet, puerili facilitate annuente. Itaque Bremenſis archiepiſcopus duas occupat abbatias, Laurenſem & Corbeienſem, præmium hoc aſſerens eſſe fidei ac devotionis ſuæ erga regem. Ne id invidioſum apud cæteros regni principes foret, perſuaſo rege, dat Colonienſi archiepiſcopo duas, Malorendren & Endam* a), *Moguntino archiepiſcopo unam Selechinſtatt*, OTTONI a *duci Baioariorum unam in Altaha*, RODOLPHO *duci Suevorum unam in Kenbeten.* b) b

a) *Gallia Chriſtiana* (T. III. p. 663.) id intelligit de *Malmundario* & *Inda* abbatiis ordinis S. BENEDICTI, adhucdum in diœceſi *Colonienſi* extantibus.

b) Seu *Kempten* aut *Campidonenſe* monaſterium.

a Eadem ac multo plura leguntur apud ADAMUM *Bremenſem* a) & in chronico *Laureshamenſi*, quod hoc præſertim celeberrimum
b olim attinet monaſterium: laudanturque apud FREHERUM b) SIGEFRIDUS *Moguntinenſis* & ANNO *Colonienſis* archiepiſcopi, nec non RUDOLPHUS & GODEFRIDUS duces illuſtriſſimi, qui zelo iuſtitiæ regali ſe inſolentiæ pro *Laureshamenſi* eccleſia opponentes, in tempore *iracundiæ facti ſunt reconciliatio.* Quum HENRICUS IV. perinde monaſterium etiam *Rhenaugienſe* tradidiſſet RUMOLDO *Conſtantienſi* epiſcopo, idipſum tamen poſtea inſtigante RUDOLPHO noſtro monaſterii illius advocato, conſentiente ipſo RUMOLDO epiſcopo ſub GERUNGO abbate, priſtinæ libertati reſtituit: uti ad an. 1064. &c. legere eſt in brevi hiſtoria huius cœnobii an. 1778. occaſione anni milleſimi lingua vernacula a P. *Mauritio* HOCHENBAUM *van der Meer* edita, a quo nobiscum communicatum diploma, quod extat autographum, damus in appendice.

Auſus etiam eſt WOLFELMUS abbas *Brunswillarenſis* ad ipſum HENRICUM iam ætate provectum data an. 1076. epiſtola que-
c relas deponere, inter alia ſic effatus c): *Eſt autem querimonia noſtra ſuper quodam prædio, quod Clotteno dictum, beato* NICOLAO, *quando puer fuiſtis, imo quia fuiſtis, eſt ablatum.* Horrendum vero eſt dictu, quantum in HENRICO cum annis excreverit vitæ licentia ac efrænis libido ab infantia veluti magis magisque accenſa & fota. *Nam*, ut in vita S. ANSELMI epiſcopi *Lucenſis* coætanei legitur: *puerilibus ſe conſiliis committens omnium genera ſpurcitiarum edoctus, cunctam mox religionem &* *omnia*

a) Hiſt. archiep. *Brem.* L. IV. c. 7.
b) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 132.
c) MARTEN. collect. ampl. T. I. p. 494.

omnia iura confundere non erubuit, ac ſuæ libidini in omnibus turpitudinibus inſtuduit. Illo ſiquidem tempore non quiſquam epiſcopus ſive præpoſitus eſſe potuit, niſi qui maiorem pecuniam habuit, vel ipſius ſpurcitiis compos extitit & fautor aſſenſit. Pudet ſane in medium proferre eiusmodi facinora, quæ GERHOHO *Reicherſpergenſi* in ſyntagmate de ſtatu eccleſiæ ſub HENRICO IV. & V. c. 11. *abominationes maximæ* inſcribuntur; quæ item STEPHANUS *Halberſtadenſis* epiſcopus ad WALDRAMUM epiſcopum *Nuwenburgenſem* regis defenſorem perſcribit. Neque etiam partibus HENRICI regis addicti ea reticere potuerunt aut diſſimulare; additque OTTO *Friſingenſis* ipſe HENRICI Cæſaris ex matre nepos hoc epiphonema a): *Diſcant ergo principes orbis in ſummo poſiti omnium ſummum creatorem ſuum præ mente habendo moderantiam ſervare, ut quanto maiores fuerint, tanto ſe gerant ſubmiſſius.* a

IX. Agit ibi *de rebellione Saxonum*, quæ non tantum ex prædictæ gentis inſtabilitate, ſed ex principis quoque laſcivia ortum ſumſerat. Dum enim prædictus princeps in iuvenili adhuc poſitus ætate, toto regno ſilente, dominumque ſuum humiliter portante, præfatam terram ingreſſus fuiſſet, iuveniliter dixiſſe fertur: ſe mirari, nullum per totum imperii ambitum inveniri, in quo vires ſuas exercere poſſit. *Saxonum* tamen animus iam a patre HENRICO III. alienari cœpit, filioque inſidiæ a prima eius infantia parari. Nam *Principes Saxoniæ*, ad annum 1057. quum ſeptennis vix eſſet HENRICUS noſter, ſcribit LAMBERTUS Schafnaburgenſis, *crebris conventiculis agitabant de iniuriis, quibus ſub imperatore affecti fuerant, arbitrabanturque, pulcre ſibi de his ſatisfactum fore, ſi filio eius (dum adhuc ætas* op-

Commodis imprimis *Saxonibus.*

a) De geſtis FRIDERICI L. I. c. 4.

opportuna iniuriæ eſſet) regnum eriperent: nec procul a fide aberat, filium in mores vitamque patris pedibus, ut aiunt, iturum eſſe.

Quid vero, quum cernerent, ac iamiam perſentiſcerent, adoleſcentem regem ſtatim in ſe ferocientem, & quævis patriæ mala minitantem? Quippe, ut a plerisque veteribus chronographis, abbatibus *Urſpergenſi*, *Stadenſi*, & TRITHEMIO ad an. 1068. (quorum libenter ac ſtudioſe in hac tractatione ſuis ipſorum utor verbis) eſt conſignatum litteris, HENRICUS rex adoleſcentiæ uſus libertate, *Saxoniam* ſolam ex omni *Romano* imperio cœpit incolere, Principes deſpicere, nobiles opprimere, inferiores ſuſtollere, venatui, luſibus, cæterisque huiusmodi exercitiis plus quam iuſtitiis faciendis (ut incuſatus eſt) operam dare, filias illuſtrium quibuslibet obſcure natis coniugare, privata præſidia, nimirum potentibus regni non ſatis fidens, inſtituere. His diſcordiæ ſeminariis contigit, regi quamplurimos inſidiatores tam vitæ quam regni ſui creſcere. Addit *Urſpergenſis* ad an. 1069. AGNETEM imperatricem, matrem HENRICI, tædio affectam, vel potius divinitus compunctam, ducatum *Baioariæ* diſpoſuiſſe, & regni gubernacula penitus contemnentem pro Chriſto ſe *Romam* contuliſſe, ibique dignis pœnitentiæ fructibus mira inſervientem humilitate, poſt aliquot annos vitam finiviſſe. Quod equidem naturæ debitum perperam ad hunc ipſum annum ALBERTUS abbas *Stadenſis* refert, rectius vero famoſum illud colloquium HENRICI regis cum rege *Danorum* habitum in Luniburg, *ubi ſub obtentu fœderis contra Saxones arma laudata ſunt.*

Omnia

Omnia hæc ad irritandos magis magisque *Saxonum* animos composita erant, quum intestinis simultatibus ac bellis accederet quoque cumprimis æmulatio quædam persuasioque, regis consilia in eo esse, ut sub occasione *Polonorum* exercitum in *Saxoniam* duceret, ac deletis usque ad internecionem *Saxonibus* gentem *Suevorum* substitueret, ut LAMBERTUS *Schaffnaburgensis* narrat apud PISTORIUM a), tandemque subdit: *Hæc enim illi gens* (*Suevorum* scilicet) *erat acceptissima, & eorum plerosque obscuris & pene nullis maioribus ortos amplissimis honoribus extulerat, & primos in palatio fecerat: & ad eorum nutum cuncta regni negotia disponebantur. Quæ res eum valde exosum invisumque principibus reddiderat, & eorum plerique indignitatem rei non ferentes, nisi pro responsorio necessario evocati, in totum palatio abstinebant... Postpositis principibus solos circa se Suevos assidue habebat, ex his sibi auricularios a secretis, ex his tam familiarium quam publicorum negotiorum procuratores instituebat. Tum Saxones omnes servilis conditionis esse, crebro sermone usurpabat* &c. Non poterat non hæc ignobilitatis improperatio, *Suevorum*que apud regem HENRICUM gratia *Saxonum* mentes quam acerbissime ferire, atque ab eo alienos reddere: unde & ipsi vicissim RUDOLPHO in regem electo obiiciebant, quod esset *indigena Sueviæ, quæ regalis omnino stemmatis est aliena*, ut passim apud *Saxonicos* præcipue chronographos legitur.

X. Quo autem tunc loco apud HENRICUM fuerit RUDOLPHUS noster, id vel maxime prodit, quod ducatum *Baioariæ*, quem OTTO *Saxo* læsæ maiestatis insimulatus amisit an. 1071. *per interventum* RUDOLPHI *ducis Suevorum* WELFO vir acer atque

RUDOLPHI gesta an. 1071.

a) Script. *Germ.* rer. T. I. p. 355.

atque bellicoſus natu *Suevus*, de *Altorf* ſcilicet, accepit, ut paſſim ſcribunt annaliſtæ, interque hos etiam *Saxo* iuxta exemplar Mſc. bibliothecæ *Vindobonenſis*, conformiter chroniſtæ S. PANTALEONIS, abbati *Stadenſi* & *Urſpergenſi*, his ſimul additis: *idque tamen principalis diſcordiæ ſemen in perpetuos heu præliorum & ſeditionum, prædarum & incendiorum, ſchiſmatum & hæreſum, atque mortium lamentabiles fructus germinavit atque ſuccrevit.*

Ineunte menſe *Aprili* HENRICUS eodem anno 1071. *Argentorati* in remedium animæ tam ſuæ, quam patris felicis memoriæ HENRICI imperatoris, interveniente BERTHA regina, nec non HERIMANNO *Babenbergenſi* epiſcopo, *S. Blaſii* monaſterio VII. manſos & dimidium in villa *Ekkingon*, in pago *Alpegove*, & in comitatu GERHARDI comitis in proprium conceſſit, *a duce* RUDOLPHO, *cum noſtri non eſſent, nobis traditos*, ut verba ſonant diplomatis, quod P. HERRGOTT ex autogra-
a pho, ſigillo HENRICI IV. munito edidit a). Circa idem tempus RUDOLPHUS dux & comes OTTO ac filius eius FRIDERICUS comes, aliique idem monaſterium noſtrum prædio *Slocſe* donarunt, quam in rem extat charta confirmationis regiæ HEN-
b RICI V. an. 1125. iam a P. HERRGOTT b) edita. Addimus hic, ob inſignem in hiſtoria illius ævi uſum, diploma HENRICI IV. in gratiam THEODUINI epiſcopi *Leodienſis* datum an. 1071. interventu RUDOLPHI noſtri, WELFONIS item ducis *Baioariæ &c.* depromtum ex opere, cui titulus: *Annales de la province & comté d'Haynau, recuéillies par feu François* VINCHANT *preſtre, augmentées & achevées par le R. P. Antoine* RUTEAU, *de*
c *l'ordre des PP. Minimes: à Mons en Haynau* 1648. *in fol.* c)

a) Geneal. *Habsb.* T. II. P. I. p. 124. b) L. c. p. 137. c) p. 191.

extat

extat etiam apud LUNIGIUM in *Spicilegio ecclesiastico* a), sed hinc inde corruptum. a

„In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego HENRICUS „favente Dei clementia Rex. Si Dei ecclesiis deferamus hono- „rem, easque ab oppressoribus suis liberare curemus, certam „habemus fidem, ex his rebus stabilitatem regno, nostrisque sa- „lutem provenire, tam in hac vita quam etiam in futura. Un- „de vulgatum & publicatum esse volumus in toto regno, quod „fecimus ad honorem Dei, sanctæque Genitricis MARIÆ, sancti- „que LAMBERTI, ecclesiæ *Leodiensi*. Cum enim castella *Mont* „& *Belmont* b) episcopatum illum diu multumque sæpe vexassent, b
„adiit venerabiliter maiestatem nostram THEODUINUS c) epi- c
„scopus eiusdem ecclesiæ, interventu scilicet piæ coniugis no- „stræ BERTHÆ, ANNONIS *Coloniensis* archiepiscopi, WILLEL- „MI episcopi *Ultraiectensis*, episcopi *Virdunensis* THEODORICI, „*Babenbergensis* episcopi HERMANNI, episcopi *Cameracensis* LYE- „BERTI, episcopi *Vercellensis* GREGORII, episcopi *Sedunensis* „ERMENFRIDI, ducis quoque *Lotharingiorum* GODEFRIDI, du- „cis *Alemanniæ* RODULPHI, ducis *Baioariæ* WELFONIS, a- „liorumque principum & fidelium nostrorum, ut eadem castella „daremus sanctæ *Mariæ*, sanctoque *Lamberto*, ob perpetuam „tranquillitatem & pacem: quod libenter annuimus, memores „quoque servitii, quod devote tam mihi quam patri meo li- „ben-

a) T. III. pag. 494.

b) *Mons* civitas ac caput comitatus *Hannoniæ*, a LAMBERTO *Schaffnaburgensi* ad hunc an. 1071. (PISTOR. Script. *Germ.* T. I. p. 346.) castellum munitissimum adpellatur; ubi etiam plura ad rem pertinentia legere est.

c) TEODEUINUS *natione Noricus de Bavaria, consanguineus imperatoris* HENRICI III. ut scribit ALBERICUS in chronico, ab an. 1044. usque ad an. 1075. præfuit. Vid. *Gallia Christ.* T. III. p. 858.

„benter impendit, præcipue autem fidei & fidelitatis, quam om-„ni tempore ſtabilem experti ſumus in eo erga nos & regnum „noſtrum. Dedimus ergo illi & eccleſiæ ſuæ *Mont* & *Belmont*, „& marcham *Valentianas*, abbatias quoque ſanctam *Waltetru-*„*dem*, ſanctam *Aldegundem* cum præpoſituris ſuis, abbatiam ſan-„cti *Gillani*, abbatiam *Oltmontem*, præpoſituram ſancti *Vincen-*„*tii*, præpoſituram ſancti *Salvi*, præpoſituram *Condatenſem*, præ-„poſituram ſancti *Petri* in *Lodouſa*, præpoſituram ſancti *Lan-*„*delini*, præpoſituram ſancti *Ioannis*. Igitur præſente & annu-„ente ipſa comitiſſa RICHILDE cum filio ſuo BALDUINO de-„dimus omnia hæc cum comitatibus, beneficiis, advocatiis, te-„loniis, monetis, foreſtibus, & omnibus appendiciis eorum: „quod factum, ut etiam poſteris in notitiam veniret, litteris „mandari iuſſimus, easque manu propria roboratas ſigilli noſtri „munimine firmari. ADELBERO cancellarius vice SIGEFRIDI „archicancellarii recognovit. Dat. V. idus Maii anno dominicæ „Incarnationis M. LXXI. indictione nona. anno autem ordina-„tionis domini HENRICI IV. XVII. regni vero XV. Actum „*Leodii* feliciter. Amen.

„Signum dni HENRICI Quarti Regis invictiſſimi.

AGNES imperatrix ob RUDOLPHI cum HENRICO ſimultates an. 1072. *Wormatiam* adventat.

XI. Memorabilis RUDOLPHO noſtro fuit annus 1072. quo AGNES HENRICI mater ſuperatis alpibus *Roma Wormatiam* advolavit, ut RUDOLPHUM innocentem apud regem HENRICUM accuſationibus impetitum liberaret. LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* apud PISTORIUM a) ſex aut eo amplius annos numerat, queis *Romæ* iam demorata fuerat, *ſub nimia auſteritate vitam inſtituens adeo, ut communem humanarum virium menſuram* exce-

a) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 351.

excederet ieiuniorum ac vigiliarum patientia. Hæc aliquot annis post subductum curis suis filium, in *Fructuariensi* monasterio pietatis intenta studiis subsistebat, auxilio etiam præsto tunc fratribus de *S. Blasio* UTONI & RUSTENO, qui sibi ambo in regimine sui monasterii successerunt post GISILBERTUM abbatem, a quo *Fructuariam* missi fuerant, *ut inde acciperent nostri Ordinis religionem adiuvante* AGNETE *imperatrice. Nam* AGNESA *imperatrix supradictos fratres procurabat per omnia in vestitu aliisque sibi necessariis. Ideo eadem imperatrix iure appellanda est accommodatrix regularis ordinis nostri monasterii.* Ut scribit anonymus libri constructionum monasterii *S. Blasii* auctor.

Pergit porro laudatus LAMBERTUS *Schaffnaburgensis*, RUDOLPHUS *quum esset imperatrici ob vetus meritum suum acceptissimus, propinquitate etiam devinctus propter filiam eius, quæ ei nupserat, sed intra paucos dies celebratæ coniunctionis decesserat, misit, eamque obnixis precibus in Galliam evocavit, ad sedandam, quæ oriebatur, intestini belli tempestatem. Nam firmiter apud se statuerat, si pax non convenisset, armata potius manu, quoad posset, salutem tueri, quam probris & contumeliis deformandum regiæ se tradere potentiæ. Imperatrix, quamqugm cuncta seculi negotia religionis obtentu in perpetuum abiurasset, nec a proposito tamen suo nimium abhorrere, nec ab ecclesiastica functione alienum fore iudicavit, si viro optime erga se merito in angustis rebus opem ferret, & filio iuveniliter tumultuanti modum imponeret.* Occurrit HENRICUS matri suæ ad natalem *S. Iacobi Wormatiæ*, RUDOLPHUMque omni criminis suspicione liberavit, interposita *Moguntini* & *Coloniensis* archiepiscoporum fide, sicque compositis rebus *Romam* rediit. *Dux quoque a rege dimissus*

ſus in pace, proſequitur idem LAMBERTUS, *protinus ſe in ſua recepit, certum tenens, non ex integro abolitas ab animo regis inimicitias, ſed ademtam interim nocendi facultatem eſſe.*

a Legitur apud *Bern.* PEZIUM a) diploma HENRICI IV. quo monaſterio S. SWIBERTI *Werdenſis* quaſdam vineas in comitatu HERMANNI comitis *Palat.* donat, ad preces quoque Ducum RUDOLPHI *Alemanniæ*, & WELFONIS *Bavariæ*, atque OTTONIS *Saxoniæ*, actum *Wormatiæ* IV. Kalend. *Ian.* 1072. in remedium animarum CONRADI avi, HENRICI patris & AGNETIS matris. Porro in vita GREGORII VII. a PAULO *Bernriedenſi* ſcripta, & alibi quoque narratur, AGNETEM, quum filius HENRICUS ad eadem volutabra, quibus immergi conſueverat, eſſet reverſus, rurſus ad eumdem in viam reducendum a ſede *Romana* fuiſſe miſſam, uti ſuo loco videbimus.

RUDOLPHUS cum aliis a GREGORIO P. VII. recens electo *Romam* invitatus an. 1073.

XII. Eiusdem AGNETIS ſuggeſtione haud dubie factum eſt, ut GREGORIUS VII. primo pontificatus ſui anno, ad quem an. 1073. evectus fuerat, humaniſſimis litteris RUDOLPHUM noſtrum b) ad colloquium de concordia ſacerdotii & imperii ſecum inſtituendum invitaret, accitis quoque ad id AGNETE imperatrice, comitiſſa BEATRICE, RAYNALDO epiſcopo *Cumano*, aliisque Deum timentibus, priusquam cum ipſo HENRICO res ageretur. Sequente mox epiſtola vigeſima RAYNALDO prædicto ſignificat RUDOLPHUM *Longobardiam intraturum* a ſe fuiſſe auditum *in hoc primo Septembre*, incipiente nimirum tunc indictione duodecima. Altera epiſtola 21. c) ANSELMO *Lucenſi* epiſcopo interdicit, ne inveſtituram ab HENRICO rege interim acciperet, *donec de communione cum excommunicatis ſatisfaciens, rebus*

a) Theſ. Anecd. T. VI. P. I. p. 258. &c. b) T. X. Concil. *Labb.* p. 21. c) Ibid. p. 22.

bus bene compositis nobiscum pacem possit habere. Personæ namque tales, addit, *hoc opus conantur perficere, carissima utique filia nostra* AGNES *imperatrix, nec non & gloriosa* BEATRIX *cum filia* MATHILDI, RODULFUS *quoque dux Sueviæ, quorum religiosa consilia spernere nec possumus, nec debemus.*

XIII. Interea dum *Romæ* hæc agitantur, novusque pontifex spem omnem in RUDOLPHO reponit ad conciliandum atque in officio continendum HENRICUM, hic anno 1073. natalem Domini *Bambergæ* celebrans, BERTHOLDO *Zaringensi Carinthiæ* duci absenti, absque legitima discussione, ducatum abstulit, & MARQUARDO ADALBERONIS anno 1035. exauctorati filio, suo propinquo tradidit. RUDOLPHUS *quoque tumultum aliquem reipublicæ machinari formidabatur. Sed discurrentes utrimque frequentes legati & illum, ne præcipitanter in arma prorueret, & regem, ne cunctantem obstinata importunitate lacesseret, salubri moderamine retinebant*, ut refert ad hunc annum LAMBERTUS *Schaffnaburgensis* a), ac subdit: *ibi quoque Coloniensis archiepiscopus offensus his, quæ plurima præter æquum & bonum fiebant in palatio, petiit a rege vacationem deinceps dari sibi a rerum publicarum administratione.*

Novæ interim in *Germania* simultates & contra HENRICUM gravamina.

Fuit hic sanctus ille pontifex ANNO, quem pii quique mirati sunt operam præstitisse, ut matris AGNETIS curæ eriperetur HENRICUS. *Quod ille*, ait annalista Saxo, *qua intentione fecerit, vel qualiter divino iudicio placuerit, discernere non valemus. Multa tamen incommoda ex tunc orta, & deinceps aucta, certa tenemus: nam perinde dissentientes ecclesiæ, regni perturbatio, monasteriorum destructio, clericatus despectio, totius religionis* ac

a) Loc. cit. p. 352.

ac iustitiæ conculcatio & cœpit, & permanet. Susceperat is primum curam iuvenis principis, quem utcumque moderatus est, rursumque ADALBERTO *Bremensi* extortum resumsit in orbitam revocandum atque ad consulendum reipublicæ. Iam vero senium causanti haud difficulter annuit Rex, *quia*, verba sunt
a saepe laudati LAMBERTI scriptoris coævi a), *pravis libidinibus suis & iuvenilibus ineptiis iam dudum animadverterat eum graviter offendi. Is ergo ubi se in sua recepit, rex tamquam severissimo pædagogo liberatus, statim in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus modestiæ & temperantiæ frenis, præcipitem se dedit, montes omnes colliculosque Saxoniæ & Thuringiæ castellis munitissimis extruxit, præsidiumque imposuit;* quibus etiam prædas in vicinia agere permisit.

Ne vero pro commeatu necessaria deessent, archiepiscopum *Moguntinum* induxit, ut decimationes *Thuringiæ* exigeret. *Thuringi* spem suam in abbatibus *Fuldensi* & *Herveldensi* posuerunt:
b *qui*, ut habet LAMBERTUS ipse *Herveldensis* tunc monachus b), *publica discussione interpellati pro decimarum redditione, primo per Deum rogabant archiepiscopum, ut antiquitus tradita monasteriis suis legitima rata inconvulsaque manere sineret, quæ & sedes apostolica & veteribus & recentibus scriptis sibi firmasset, & prædecessores eius* &c. At hæc necquidquam proficiebant, rexque sciens, *Romano* pontifici haud bene placitura quæ gesta sunt, sub interminatione amittendæ gratiæ suæ utrique abbati præcepit, ut neque per seipsos, neque per nuntium, neque alio quovis modo apostolicam sedem interpellarent: *Thuringis* vero sub attestatione nominis divini affirmabat, se in eum, si quis id præsumsisset, capitali sententia animadversurum. *Atque ita omnibus*, subdit LAM-

a) Loc. cit. b) L. c. p. 353.

LAMBERTUS, *quæ intenderat, pro voluntate exactis* HENRICUS *concitus Ratiſponam contendit, ſanctum paſcha ibi celebraturus. Quumque in civitate Auguſta diem Palmarum ageret*, RUDOLPHUM *ducem Suevorum, & alios quosdam, qui ſiniſtrum aliquid contra rempublicam moliri iam pridem delati fuerant, in gratiam recepit.* Chronographorum plerique ad an. 1073. perhibent, RUDOLPHUM ducem *Alemanniæ*, BERTHOLDUM *Zaringenſem* & WELPHUM ducem *Baioariæ* a rege HENRICO diſceſſiſſe, ac invicem coniuraſſe, *quia*, ut ait BERNOLDUS vulgatus ſub nomine BERTHOLDI Conſtantienſis, *aliis ſubintroeuntibus conſiliariis, ſuum conſilium apud regem non valere perſpexerunt.* TRITHEMIUS vero in chronico *Hirſaugienſi* ad hunc annum a) a has plures affert rationes: „Hoc ipſo anno RUDOLPHUS dux „*Suevorum* & *Burgundionum*, BERTHOLDUS de *Zaringen* dux „*Carinthiæ*, & WELFO dux *Bavariæ* cum plerisque aliis, quum „regem ſæpius monuiſſent, ut ſe *Romano* pontifici humiliter „ſubmitteret, mores ſuos incompoſitos emendaret, pacem & „concordiam cum principibus faceret, iuſtitiam ſingulis quibus„que miniſtraret, a pravitate ſimoniaca deſiſteret, eccleſias de„fenderet, earumque miniſtris honorem debitum exhiberet; & „ille non ſolum adquieſcere optimis eorum conſiliis obturatus „mente contemneret, ſed etiam in monentes ira & indignatione „permotus vindictam minaretur, neceſſitate compulſi tandem „ab eo deficiunt, & reliquis principibus in illum conſpirantibus „ſe coniungunt: nec multum abfuit, quin omnes in eum ar„ma moviſſent."

Conſimilia fere refert anonymus auctor chronici Mſc. *Petersbuſani* monaſterii ſec. XII. *Quum igitur*, inquit, HENRICUS

a) T. I. p. 234.

rex

rex ecclesiastica officia, ut diximus, perverse tractaret, etiam divino iudicio contritio & infelicitas viis eius propinquaret, cœpit viam pacis perturbare, & nec Dei timorem præ oculis habere, nec hominibus, quæ iusta erant, exhibere, &, ut pauca de multis dicam, OTTONI *duci Baioariorum ducatum abstulit, &* WELFONI *de Ravinisburch tradidit.* BERTOLFUM *quoque de Zæringen ducatu Carinthiorum privavit, &* LUITOLDO *Genuensi dedit. Ad hæc quum in Saxonia ipse moraretur, eoquod ipsa provincia imperatoris coquina esse perhibetur, cœpit tam coniuges quam filias principum constuprare, & in huiusmodi facinoribus modum non habere. Has ignominias Saxones non ferentes ad rebellandum sunt incitati, & exinde gravia prælia & seditiones sunt experti.*

Saxones palam rebellantes reconciliantur.

XIV. Primi igitur, qui ab HENRICO palam discessionem arreptis armis fecerunt, *Saxones* fuere, maxime omnium lacessiti. *Qui* enim *in castellis*, a rege ad refrenandam gentem extructis, *erant, graviter nimis imminebant populo Saxoniæ & Thuringiæ,* &, ut narrat LAMBERTUS Schaffnab. a) *omnia, quæ in villis & agris erant, indies eruptione facta diripiebant, tributa & vectigalia silvarum & camporum importabilia exigebant, & plerumque sub prætextu decimarum totos simul greges abigebant: ipsos provinciales, & plerosque ex his honesto loco natos, & re familiari florentissimos, vilium mancipiorum ritu servire sibi cogebant: filias eorum & uxores, consciis & pene aspicientibus maritis, violabant &c.* Una igitur omnium sententia & voluntate coniuratum est, auctoribus & signiferis BAVONE *Halberstatensi* episcopo, OTTONE duce *Baioariæ*, atque HERIMANNO defuncti *Saxoniæ* ducis fratre. Qua re cognita nihil non egit HENRICUS, quaqua etiam

a) Loc. cit. p. 355.

etiam ſupplex curſitando, ut cæteros principes ac gentes ſibi conciliaret. Caſu ad regem advenerat BERTHOLDUS *Zaringenſis* dux quondam Carinthiorum. *Huic rex*, ſunt verba ſæpe laudati chronographi a), *quam ſanctis obteſtationibus ſe purgabat, quod ducatum eius nulli alii tradidiſſet, ſed* MARCWARDUS *privata præſumtione fines alienos invaſiſſet; nec ei quidquam de iure ſuo imminutum eſſe, ſi ſuo iniuſſu, ſine conſulto principum, honores publicos homo ineptiſſimus temeraſſet. Ille, licet hæc ficta eſſe ſciret, & regis malitiam non tam voluntate quam fortunæ violentia correctam eſſe, tamen ſuſcepit ſatisfactionem, promiſitque, operam ſuam reipublicæ utilitatibus nusquam defuturam.* Hunc itaque, quia vir erat ſummæ prudentiæ & popularis eloquentiæ, cum duobus epiſcopis, EPPONE *Citicenſi* & BENNONE *Oſnabrugenſi* rex legatum miſit ad *Saxones:* ſed iteratis legationibus nihil profecerunt. a

RUDOLPHUS vero noſter in caſtris circa *Moguntiam* poſitis interim morabatur, nuntium regis præſtolatus, quonam in loco ei citius occurreret: etſi a plerisque ipſe coniurationis huius conſcius ac particeps haberetur, ideoque tam lento gradu ad militiam proceſſiſſe diceretur, ne aut regi in tanto diſcrimine contra propoſitum ſuum pudore victus auxilium præberet, aut ſi negaret, defectionem ſuam conſiliumque prodere cogeretur.

XV. Gens certe *Suevorum*, ut BRUNO in hiſtoria belli *Saxonici* perhibet apud FREHERUM b) audita *Saxonum* calamitate clam legatos ſuos ad illos miſit, fœdusque cum eis pepigit, ut neuter populus ad alterius oppreſſionem regi ferret auxilium: volebat enim rex *Suevos* quoque violenter opprimere, atque ut ſibi b

RUDOLPHUS ideo inconſultis *Suevis* regi reconciliatus.

a) L. c. p. 358. b) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 179.

a ſibi de prædiis ſuis tributa redderent, compellere. a) Hoc fuit cum rege fœdus, quo offenſum a *Saxonibus* fuiſſe RUDOLPHUM ducem *Suevorum* idem BRUNO teſtatur: cui tamen feriendo ipſe nihilominus operam dedit RUDOLPHUS ac BERRTHOLDUS *Zaringenſis* miſſi a rege ad *Saxones*, ut cauſas, quas adverſum ſe
b adferrent, diſcuterent, teſte LAMBERTO. Addit hic, b) quod RUDOLPHUS iam tunc a *Saxonibus* rex fuiſſet conſtitutus, niſi ille pertinaciter reſiſtendo iuraſſet, numquam ſe in hoc conſenſurum, niſi a cunctis principibus conventu habito ſine nota periurii, integra exiſtimatione ſua, id facere decerneretur. Sed tunc *Saxones* cum rege reconciliati ſunt, data ſibi impunitate. RUDOLPHUS vero ſe a *Saxonibus*, quorum confidebat auxilio, deceptum ratus, regi quomodo poterat reconciliatur, eique primum ſe cum ſuis omnibus *Saxones* hoſtiliter invaſurum pollicetur, ut habet BRUNO, addens: *ſed hoc, ut dixi, poſt annum fiet integrum*, ut paullo poſt videbimus. Palam vero hinc eſt, hanc RUDOLPHI cum HENRICO reconciliationem an. 1074. eſſe factam: ad quem nempe annum BERNOLDUS, ſeu BERTHOLDUS noſter, presbyter *Conſtantienſis*, in appendice ad chronicon HER-
c MANNI *Contracti* apud URSTISIUM c) hæc refert: RUDOLPHUS *dux & cæteri reconciliantur regi.*

XVI.

a) „Quod fœdus, (addit, l. c. p. 185.) *Saxones* ſi fideliter ſervaſſent, & ab infamia perfidiæ & a magna parte calamitatis liberi fuiſſent. *Saxones* quippe, compoſitis poſtea cum rege rebus, *Suevorum*, qui fœderis cum *Saxonibus* facti memores cum rege contra *Saxones* venire noluerant, fuerunt obliti, & ob hoc illis *Suevi* facti ſunt ex amicis hoſtes atrociſſimi. Quodſi aut illud non feciſſent, aut in illo faciendo *Suevos* ſibi aſſociaſſent, & perfidiæ nota carerent, & non tam multos hoſtes ſæviſſimos haberent."

b) PISTOR. loc. cit. p. 363.

c) Script. *Germ.* P. I. p. 345.

XVI. At parum firma, nec ſincera fuit iſta reconciliatio. Et quidem ex parte HENRICI, ſi vera ſunt, quæ apud LAMBERTUM *Schaffnaburgenſem* a) leguntur ad an. 1073. ex ore REGENGERI cuiusdam, qui cum aliis HENRICI familiaribus ab eo fuerat ſubornatus, ut ducibus RUDOLPHO ſimul & BERTHOLDO vitam per inſidias tolleret. Quo percepto ambo hi duces *legatos ad* HENRICUM *mittunt, mandantque ſe iam nulla religione teneri ſacramenti, quo ei fidem ſubiectionemque firmaſſent, quum ipſe prior fidem prodidiſſet, & de ſalute ſua tractantibus inſidias machinatus fuiſſet, proinde, niſi obiecta diluiſſet, nullam deinceps a ſe vel in tranquillis rebus fidem, vel in perturbatis auxilium ſperare deberet.* Ægre nimis id paſſum regem, pergit, ſtatimque ad populum retuliſſe de importunitate RUDOLPHI ducis, qui, ut invadendi regni occaſionem inveniret, quum verum ſibi crimen impingere non poſſet, falſis ſuſpicionibus, & arte compoſitis rumoribus ſe impeteret: quos ipſe non verbis, ſed manu ſua refellere velit, neglecta interim regii nominis maieſtate, cum ipſo RUDOLPHO congreſſus. Interceſſiſſe vero ait UDALRICUM *de Cosheim* unum ex his, qui conſilii participes & ſceleris adminiſtri deſtinati fuiſſe accuſabantur.

HENRICI contra RUDOLPHUM inſidiæ.

a

Hæc verbis fere LAMBERTI enarravi; audire vero etiam iuvat auctorem domeſticum itidemque coævum continuatorem HERMANNI *Contracti* BERTOLDUM *Conſtantienſem*, ſeu potius BERNOLDUM presbyterum *S. Blaſii* diœceſis *Conſtantienſis*, auctiorem in Mſc. *Murenſi* ſervatum. b) Taceo, quæ Annaliſta b

D 2 *Saxo*

a) PISTOR. Script. *Germ.* T. I. p. 364.

b) Iuxta hunc autem „unus quidam de conſiliariis regis diſcedens ab eo publicavit, & accuſavit eum apud duces prædictos, quod cum eo ſcilicet & cum aliis ſuis intimis conſilium iam factum haberet, quod omnes quomodocumque interficeret, & ſeipſum deſtinatum & ma-

Saxo ad an. 1076. & ex chronico *Magdeburgensi* CRUSIUS in chronico *Sueviæ* a) afferunt alia plura eiusmodi, exempla dicam, an monstra? insidiarum, quas ipse HENRICUS intentavit, similes fere SAULIS in DAVIDEM machinationibus. Quæ vero huic saltem tempori minime accommodata videntur, quo RUDOLPHUM strenue pro rege HENRICO pugnantem mox videbimus.

Auxilio interim adest RUDOLPHUS contra *Saxones* nova molitos.

XVII. *Anno* 1074. *rex*, teste citato LAMBERTO Schaffnaburgensi b), *natalem Domini Wormatiæ celebravit, longe aliter ibi victitans, quam regiam magnificentiam deceret. Nam neque ex fiscis regalibus quidquam servitii ei exhibebatur, neque episcopi aut abbates, vel aliæ publicæ dignitates consueta ei obsequia præbebant, sed in sumtus quotidianos necessaria ei vili pretio coemebantur.* Interea *Saxones* a diruendis castris necquidquam remittentes, hebdomada proxima post festum Purificationis S. MARIÆ conventum *Friteslar* indixerant, ut communicato ibidem cum cæteris regni principibus consilio periclitanti reipublicæ rectorem, qui omnibus placuisset, constituerent. Ipsi quoque regi procaciter mandarunt, ut, si ita sibi expedire iudicaret, die statuta præsto adesset, suumque ius non per epistolam aut internuntios, sed præsens ipse viva voce exponeret. Verum missis ultro

ximis præmiis coactum esse in idipsum facinus, palam protestatus est. Unde maxima discordia inter regem & principes effecta est in tantum, ut ipse vix evaderet insidias eorum, *Wormatiam* civium ope ingressus. Ibi undecunque collectis auxiliantium copiis, exspectabat diem, in quo se duello de incusatione prædicti facinoris expurgaret. Statuto demum die adveniente, in quo se coram regni principibus aut expurgaret, aut regno pelleretur, ipse proditor illius, qui perduellis in eum extiterat, subita morte obierat, & sic intentionis prædictæ causa, dum iusiurandum regis, quo se expurgare voluit, refutarent, dilata, ipse recollectis undecunque potuit militum & fidelium suorum cuneis cœpit indies parvipendere inimicitias adversariorum suorum."

a) P. II. p. 241.

b) pag. 367.

ultro citroque legationibus mitiores paullulum facti *Saxones* has pacis conditiones propoſuerunt: ut ſcilicet caſtella, quæ ad eorum oppreſſionem per *Saxoniam* & *Thuringiam* exſtruxerat rex, ſine dilatione dirui iubeat: ut ſua ſingulis patrimonia per vim ſeu calumniam erepta reſtituat: ut duci OTTONI ducatum *Bavariæ* reddat: ut epiſcopo *Moguntino*, epiſcopo *Colonienſi*, duci RUDOLPHO, poſtremo omnibus, qui in hac diſſenſione ab eo defeciſſent, aut aliquid, quod eum læderet, aliarum partium ſtudio admiſiſſent, impunitatem tribuat &c.

At rex iamiam ſtatuerat, extremam fortunæ aleam tentare, duræque nimis viſæ ſunt conditiones. Cœpit igitur principum ſuorum fidem adpellare, ne ſe ſub iugum tam fœdæ conditionis ad ſui omniumque ignominiam mitti paterentur; miſſis quoque legatis *Romanum* pontificem hac de re interpellavit: demum vero principes etiam, qui quamplurimi ad feſtum Natalis Domini anno 1075. dedita opera convocati aderant, modis omnibus ad inſtaurandum bellum *Saxonicum* ſollicitabat; atque etiam perſuadebat, ut *Wormatiæ* poſtea Paſcha & Pentecoſten cum paucis eclebraret principibus, ſingulis in præparationem militiæ privata ſollicitudine occupatis. Ad hæc rex iam minus metuebat, ne prœlio, quam ne aliorum ſupplicationibus vinceretur, neve principes ſui bellum illis inferre religioſum ducerent, qui ſe ad quaſcumque conditiones paratiſſimos præbebant. Unde vel maxime ſatagebat, ut ante exercitus committerentur, quam *Saxonum* legati pacem oblaturi venirent; plurimum in hoc ipſum annitente RUDOLPHO, eoquod anno priore affectati regni inſimulatus ſuſpicionem hanc novis erga regem ſtudiis abſtergere cupidiſſime volebat.

a Atque hæc quidem LAMBERTUS a): BRUNO vero in historia belli *Saxonici*, atque annalista *Saxo*, quod paullo ante retulimus, adfirmant, itemque *Suevorum* ducem RUDOLPHUM, fœderis a *Saxonibus* subito cum rege compositi non oblitum, ipsum regem instigasse, ne iniuriam tam Deo, quam sibi, suisque principibus universis contumeliose factam, sine vindicta dimitteret, eique se totum cum tota virtute, quam habere posset, promisisse.
b *Idem* quoque, pergit b), *cæteri principes universi fecerunt, aliqui quidem multis promissionibus allecti, plures autem vicinæ mortis necessitate, quam vitare non poterant, adacti.* Chronicon Msc. *Petershusanum* seculi XII. in hoc bello cum rege fuisse dicit duces, *Suevorum* RUDOLPHUM, postea regem, & WELF, atque BERTOLDUM, *quamvis ei suspecti essent.* Verisimillimum mihi est, RUDOLPHUM ab AGNETE an. 1074. cum legatis pontificiis, ut paullo post videbimus, in *Germaniam* iterato properante, fuisse inductum, ut HENRICO filio, suo quondam socero, ex animo quævis præstaret officia.

Strenueque in acie decertat cum aliis principibus.

XVIII. Is certe RUDOLPHUS, utroque exercitu parvo inter se distante intervallo, regem refrigerandi gratia in lecto reclinatum de adpropinquante hoste monet: cuius quidem beneficii rex, quoad vivat, numquam se immemorem futurum, Deo in testimonium adscito, pollicetur; ut sæpe laudatus LAMBERTUS
c c) testatur: atque sic ambo tentorio sese proripuerunt, datoque ad pugnam signo acies per longe lateque patentes campos fuit instructa, commissumque duci RUDOLPHO negotium, ut ipse cum suis prima acie confligeret, peculiari scilicet *Suevorum* privilegio, quibus ab antiquis iam diebus lege latum sit, ut in omni expeditione regis *Teutonici* ipsi exercitum præcedere, & pri- mi

a) Loc. cit. b) FREHER. Script. *Germ.* T. I. p. 190. c) PISTOR. l. c. p. 387.

mi committere debeant. Subdit tamen idem LAMBERTUS, *Suevos* impetum nec ad horam ſuſtinere potuiſſe, niſi loco motis iamque pedem retro ferentibus dux WELFO cum exercitu *Baioarico* adcurriſſet. Celebrat hunc auctor carminis de bello *Saxonico* lib. III. apud REUBERUM) a poſt RUDOLPHUM, quem a
eo die ſtrenue imprimis pugnaſſe, concors eſt omnium chronographorum teſtimonium: qui multis ſæpe gladiis impetitus, quamquam tenaciſſimæ loricæ præſidio ictus omnes fruſtraretur, multis tamen ex aſſidua contuſione membrorum affectus eſt incommodis, ut LAMBERTUS perhibet. BRUNO autem b) & annaliſta *Saxo* c) UDONEM marchionem filium LUDERI comitis *Stadenſis* nominant, qui conſobrinum ſuum RUDOLPHUM ducem gladio fortiter percuſſerit in faciem, & niſi naſus galeæ dependens fideliter partem capitis eius ſuperiorem defendiſſet, illud penitus abſcidiſſet. Iuxta cit. chronicon Mſc. Petershuſanum *ibi occiſus eſt*

a) Anonymus ille inter *Iuſti* REUBERI veteres Scriptores *Germaniæ* lib. III. ſic ſcribit p. 211. & 212.

„Primus init bellum cogens in prœlia ſecum
Suevos unanimes Dux fortis in arma RUDOLPHUS
Quos prius expertos *Saxonica* bella celebrat
Gloria quæſiti CAROLO ſub rege triumphi.
Hic enim arma rapit ſecum quos patria miſit
Curia mille manus *Ararim Rhodanum*que bibentes.
Hos *Romanorum* ſequitur de gente vetuſta
Dux CATULUS, nomen referens moresque genusque
Signa Ducis ſequitur gens inclyta *Boiariorum.*"

Memoratur hic *Curia*, *Rhætorum* nimirum ſeu *Rhætiæ* caput olimque ſedes Ducum & Comitum *Rhætiæ*; quam videtur patriam RUDOLPHO noſtro indicare, cuius tamen rei fateor me nullum habere veſtigium. *Araris* apud Cæſarem deſignat flumen hodiernum *la Saone* quod *Burgundiam* alluit, & *Lugduni* intrat *Rhodanum*. RUDOLPHUS noſter aliquando notatur in chartis Dux *Suevorum* & *Burgundionum*: quia præter *Sueviæ* Ducatus, in quo & *Rhætiæ Curienſis* tractus comprehendebatur, *Valeſiam* etiam ſub ſuo dominatu habebat, in qua oritur *Rhodanus*, & magnam *Helvetiæ Burgundicæ* partem perfluit.

b) Pag. 190.

c) Pag. 518.

est ex parte regis ERNIST *marchio Orientis*, *&* *duo filii comitis de Nellinburg* EBERHARDI, *qui Schafhusense monasterium fundavit.* ERNESTUS iste marchio Orientis haud alius est, quam ERNESTUS *Austriæ* marchio, cognomento *Strenuus*, quartus ALBERTI filius, & S. LEOPOLDI avus, quem HENRICUS IV. *imp. Romani Imperii Priorem adpellavit*, *&* *multis privilegiis donavit. Quum autem* HENRICUM *imperatorem ad bellum Saxonicum comitatus esset*, *apud fluvium Mistrau* (Unstrut) *occubuit anno* 1075. ut de eo scribit CZERWENKA in annalibus *Austriæ*
a b a), LAMBERTUS quoque *Schaffnaburgensis* b) hæc refert: *Ibi* ERNEST *marchio Baioariorum*, *vir in regno clarissimus*, *&* *multis sæpe adversum Ungarios victoriis insignis, graviter vulneratus est*, *&* *quum in castra semivivus relatus fuisset*, *postero die expiravit. Ibi duo filii* EBERHARDI *Comitis de Nellenburg* (ALBERTUS & THEOBALDUS, in Msc. chron. *Einsidl.* vocantur HENRICUS & EBERHARDUS *de Nellenburg*) *occubuerunt.*

Qui immiti erga devictos Henrici animo fuere offensi.

XIX. Adferunt iidem scriptores epistolas nonnullas in gratiam devictorum *Saxonum* ad varios datas. Harum prima WERNHERI *Magdeburgensis* ad SIGEFRIDUM *Moguntinum* & ALBERTUM *Wirceburgensem* præsules locum sibi dari supplicant, *ubi vobiscum*, ut textus habet, *&* *cum* RUDOLPHO, BERTHOLDO, GODEFRIDO *ducibus convenire possimus*, *&* *in quocumque vobis culpabiles esse videbimur, omni voluntate nostra postposita vestræ prudentiæ iudicium volentes patiemur.* Addunt vero, consilium quod regi dederunt duces isti aliique pene omnes, *ut Deo de victoria sua gratiam ageret*, *&* *Saxones in pacem* *&* *gratiam suam*, *sicut rex christianus*, *reciperet*, ab eo haud fuisse accepta-

a) Pag. 216. b) PISTOR. l. c. p. 388.

ptatum, quod vero ipse rex solus volebat, ut cunctos statim suæ servituti subiiceret, ad præsens implere non potuisse: *Saxones* magno iam periculo factos prudentes, cum non minore venisse exercitu, regis vero exercitum, ad præliandum non ut antea promtum, fuisse magna sui parte minorem.' *Nam*, ut subiungunt BRUNO a) & Annalista *Saxo* b), BERTHOLDUS & RU- a b
DOLPHUS, *postquam a priori sunt prælio reversi, divina pietate compuncti, quadragesimas publice ieiunarunt, & amplius se pro rege contra Saxonum innocentiam non se pugnaturos fideliter Deo voverunt.*

Itaque iidem, ac WELFO dux *Baioariorum* regi paullo post auxilium poscenti id denegarunt, *pœnitentes*, ut habet LAMBERTUS c), *superiori expeditione in irritum fusi tanti sanguinis:* c
offensi etiam regis immiti atque implacabili ingenio, cuius iracundiæ incendium nec lacrymæ Saxonum, nec inundantes campis Thuringiæ rivi sanguinis restinguere potuissent. Frustratus igitur tunc fuit sua apud HENRICUM pro *Saxonibus* interposita opera RUDOLPHUS. d) d

WELFONEM ducem OTTO *Frisingensis* de gestis FRIDERICI I. imp. lib. I. e) RUDOLPHO adnumerat, qui ambo non e
multo

a) Pag. 194.

b) Pag. 523.

c) L. c. p. 394.

d) „Quum enim (ut verbis ALBERTI *Stadensis* ad an. 1071. utar) *Saxones* pro tuenda libertate bellum adhuc intentarent, RUDOLPHUS dux *Suevorum*, vir bonus & amator pacis, primum regio honori, deinde *Saxonum* saluti consulens, apud *Saxones* obtinuit, ut se in potestatem regis traderent principes eorum . . . tali conditione, ne aut captivitate gravarentur, aut ullam sustinerent læsionis molestiam. Statim igitur, ubi *Saxones* potestati se regiæ dederunt, iussit eos rex acriori custodiæ mancipari, non reveritus promissionum fidem. Et contristatus est RUDOLPHUS dux, quod promissa implere non potuisset."

e) URSTIS. Script. *Germ.* P. I. p. 411.

E

multo post tempore, dubium qua occasione, *Saxonibus* principi rebellantibus iuncti fuerint. De RUDOLPHO ad ea, quæ iam
a diximus, mox pro eo instituto plura dabimus a).

GREGORII VII. res cum HENRICO cuius mater AGNES iterato in *Germania.*

XX. GREGORIUS VII. P. quo esset erga HENRICUM animo, primo mox pontificatus sui anno, ad GOTTIFREDUM ducem scribens declarat b). Sequenti anno litteris ad HENRICUM datis c), *persuasu dilectissimæ matris Augustæ*, lætatur, quod legatos apostolicos benigne acceperit, promittitque, se eius inter Missarum solemnia super corpora apostolorum & habuisse & habiturum memoriam. Quod vero monet hic, ut fidos ac prudentes
b c d consiliarios sibi adsciscat, id sequente epistola d) repetens de illis

a) De WELFONE autem audire iuvat monachum *Weingartensem* in chronico de GUELPHIS principibus, apud LEIBNIZ. (Script. rer. *Brunsvic.* T. I. pag. 784.): „Imperatori, (inquit,) antequam machinationes in mortem suam patrasset, & antequam ecclesiam Dei manifeste impugnasset, fidelissime adhærebat, eique quum contra *Saxones* dimicaret, in tribus funestissimis congressionibus strenuissime militabat. At ubi multa inhonesta de eo in medium proferebantur, & quod maius est, Dominum apostolicum GREGORIUM septimum, GWIPERTO *Ravennatensi* archiepiscopo intruso, de sede sua expulit, ipse cum aliis catholicis principibus ab eo declinavit, & amodo eum multis modis inquietavit."

b) (T. X. Concil. *Labb.* p. 12.) „De rege mentem nostram & desiderium plene cognoscere potes; quod, quantum in Domino sapimus, neminem de eius præsenti & futura gloria aut sollicitiorem, aut copiosiori desiderio præferri credimus. Est enim hæc voluntas nostra, ut primum oblata nobis oportunitate per nuntios nostros super his, quæ ad profectum ecclesiæ, & honorem regiæ dignitatis suæ pertinere arbitramur, paterna eum dilectione & admonitione conveniamus. Quod si nos audierit, non aliter de eius quam nostra salute gaudebimus, quam tunc certissime sibi lucrari poterit, si in tenenda iustitia nostris monitis & consiliis adquieverit: sin vero (quod non optamus) nobis odium pro dilectione, omnipotenti autem Deo pro tanto honore sibi collato, dissimulando iustitiam eius, contemtum non ex æquo reddiderit, interminatio, qua dicitur *maledictus homo, qui prohibet gladium suum a sanguine*, super nos Deo providente non veniet. Neque enim liberum nobis est, alicuius personali gratia legem Dei postponere, aut a tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apostolo: *si hominibus placere vellem, servus Dei non essem.*"

c) Ibid. p. 90. d) Ib. p. 91.

lis luget & queritur, *qui diſcordiam ſeminare inter nos quotidie diſponunt, ut his retibus diabolico inſtinctu præparatis ſua poſſint captare commoda, ſua palliare vitia, quibus iram Dei & gladium S. Petri contra ſe inſana mente provocant.* Epiſtolæ hæ ſcriptæ fuerunt poſt illam pontificis legationem, cui regem, celebrata in *Babenberg* paſchali ſolemnitate an. 1074. *Norimbergam* uſque obviam perrexiſſe LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* teſtatur. In Mſc. *Murenſi* quædam memoratu digna adduntur iis, quæ apud vulgatum ab URSTISIO BERTHOLDUM leguntur ad annum 1074. a) a

Egit cum legatis mater regis imperatrix, ut, ſi poſſent, vacillantem multo iam tempore *Germaniæ* ſtatum componerent, a LAMBERTO *Galliarum* nomine indicatæ. *Nec tamen*, addit, *cum rege ſermonem communicare, ſæpius rogati, conſenſerunt, donec ſecundum eccleſiaſticas leges, pœnitentiam profeſſus per iudicium eorum anathemate abſolveretur, pro eo, quod propter venditas eccleſiaſticas dignitates ſimoniacæ hæreſeos inſimulatus fuiſſet apud ſedem apoſtolicam.* b) Referenda ſunt hæc partim ad ea tempora, quum iam iterato pia HENRICI mater operam ſuam ad converſionem filii impendiſſet, quem excommunicatum iamiam ad an. 1075. ponit chronicon Mſc. *Petershuſanum.* c) b c

E 2 In

a) „RUDOLPHUS dux & cæteri rebelles reconciliantur regi. In hac quadrageſima imperatrix & duo epiſcopi ſedis apoſtolicæ legati cum ea de *Roma* ad *Phorzheim* in *Alemanniam* ad regem venere, pro ipſius regis moribus corrigendis. Rex paſcha apud *Babinberg* egit. Inde ad *Norimberg* ad matrem & ad cæteros apoſtolicæ ſedis legatos veniens, reum in eorum manus ſe, præſentibus epiſcopis *Moguntino* & *Bremenſi* cum aliis multis, ſub correctionis ſponſione commiſit, ſuumque auxilium Domno apoſtolico ad deponendos Simoniacos firmiſſime promiſit.

b) PISTOR. l. cit. p. 376.

c) „Quum (inquit) rex HENRICUS per omnia tyrannice viveret, & nec Deum nec homines vereretur, & inveſtituras epiſcoporum & abbatum pro velle ſuo

In Msc. chronico *Murensi* in synodo hac *Romana* consiliarii tantum HENRICI excommunicati dicuntur, enarranturque bella *Pannonica* & *Saxonica* imprimis anno 1075. feliciter gesta, quibus elatus rex perfidum sese exhibuerit erga *Saxones* ad deditionem venientes, & refragarium ad pontificis monita & obtestationes per litteras & legatos, viros religiosos regi familiares factas, ut a communione excommunicatorum abstineret. Gravissimum fuerat, quod contenderat ab HENRICO fieri GREGORIUS, ut omnes episcopos & abbates, qui sacros gradus pretio redemissent, discussione habita deponeret. Regem quoque aliquando hoc cupide voluisse constat, ex odio præprimis *Wormatiensis* episcopi & quorumdam aliorum, qui eum in bello *Saxonico* offenderant, quos hac calumnia involvendos, & dignitatis suæ detrimenta passuros, spe certissima præsumserat.

HENRICUS ob Simoniacam imprimis pravitatem dispar RUDOLPHO docili.

XXI. Nec pensi habebat HENRICUS, se imprimis peti, toties iam a pontifice monitum per epistolas & nuntios, quin & per religiosissimam matrem AGNETEM. Ecquid vere paternum magis sollicitiusque in GREGORIO, quam filio matrem, ætate provectam matronam ultra montes submittere, quæ eum in viam quovis modo reducat? Ostenditque in laudata iam epistola a) pontifex, permotum quoque HENRICUM, seque exhilaratum,

a

distribueret, & quum post hæc sæpe a legatis GREGORII papæ admonitus esset, nec emendare vellet, iam dictus GREGORIUS, qui & HILTIBRANDUS, congregata synodo excommunicavit eum, & omnes eius, & iuratos illi & fœderatos absolvit & abalienavit eos ab illo, & interdixit, ne aliquis ab eo ecclesiasticum officium vel investituram susciperet: insuper clericis coniugia sub anathematis vinculo interdixit. Hac de causa tanta procella ecclesiam impulit, quæ innumeros subvertit, & hactenus usque in præsens, sed neque usque in finem, ut credimus, navem Dei inundare & pulsare non desinet."

a) *Labb.* Concil. T. X. p. 90.

ratum, *quod piæ memoriæ* AGNES *mater tua imperatrix Auguſta apud nos conſtanter teſtificata eſt, iidemque legati epiſcopi atteſtati ſunt, te ſimoniacam ſcilicet hæreſim funditus de regno tuo extirpare, & inveteratum morbum fornicationis clericorum toto animiſu corrigere velle.* Longe vero fideliorem ſe RUDOLPHUS noſter exhibuit, conſilium a pontifice petens, quid ſibi hac in re agendum corrigendumque foret: quod etiam paterne conceſſit GREGORIUS epiſtola 45. a) RUDOLPHO duci *Sueviæ* & BERTHOLDO duci *Carentano* inſcripta, qua in epiſcopos primum invehitur, inobedientes in exequendis apoſtolicæ ſedis decretis, quæ nuper in concilio *Romano* emanarunt contra ſimoniacos & fornicarios clericos. Duces deinde hos rogat, & apoſtolica auctoritate admonet, *ut quidquid epiſcopi debinc loquantur aut taceant, vos officium eorum, quos aut ſimoniace promotos & ordinatos, aut in criminibus fornicationis iacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis.* a

Extant vero plures ad HENRICUM epiſtolæ in eamdem ſententiam multo graviores, quibus primo quidem permovebatur; ſed commiſſo prælio (ut iam memoravi, eſtque concors narratio chronographorum coætaneorum) & victoria obtenta, ad vomitum cito rediit, vota fregit, excommunicatos in communionem & gratiam ſuſcepit, eccleſiarum confuſionem non abhorruit, ut de eo habent HUGO *Flaviniacenſis* b) & DOMNIZO in vita MATHILDIS c). LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis* d), dum verba facit de piis ſtudiis ac conatu S. ANNONIS archiepiſcopi *Colonienſis* in reducendo ad frugem HENRICO: *Neque enim*, ait, *laſci-* b c d

a) Loc. cit. p. 101.
b) Pag. 209.
c) Lib. I. c. 19.
d) PISTOR. Script. *Germ.* T. I. p. 400.

viæ regis vel ratio modum faciebat, vel ætatis acceſſus, vel amici cuiusquam obiurgatio, ſed quotidie ſeipſo deterior efficiebatur, & ruptis omnibus humani, ne dicam chriſtiani, pudoris frenis, in omne, quod animus ſuggeſſiſſet, flagitium præcipantior ruebat: & oppreſſis iam terrore principibus nullus erat, qui peccantem & divina atque humana omnia absque diſcrimine permiſcentem vel levi verbo auderet redarguere.

Exulceratis ultra modum rebus.

XXII. Neque vero pontifex ſedis ſuæ auctoritate quidpiam amplius profecit, ad minas hinc progreſſus, quin & diem HENRICO dicere auſus per ſuos nuntios in comitiis *Goslarienſibus* an. 1076. Quibus rex vehementer exacerbatus, ac ultra progreſſus, ipſe auſu ſuo in conventu *Wormatienſi* GREGORIUM a ſede ſua a *depoſitum ignominioſis denuntiavit litteris.* a)

Sequuntur apud Annaliſtam *Saxonem* aliæ haud minus contumelioſæ, quibus lectis *Romæ* apud Lateranum, *quid ibi tumultus,*

a) „Qui (ut rem multis laudatus LAMBERTUS explicat, breviter vero Annaliſta *Saxo* apud ECCARDUM p. 526.) correptiones Domni apoſtolici dedignatus, cum ſuis deceptoribus ſingulis vel binis conſilium iniit, qualiter vicem redderet contumeliæ, quod eum *Romanus* pontifex minatus ſit excommunicandum, quum id priſcis temporibus foret inauditum. Unde factum eſt, ut *Wormatiæ* concilio epiſcoporum habito omnes pene *Teutonici* regni, præter paucos de *Saxonia* pontifices, papam HILDEBRANDUM GREGORIUM abdicarent, mittentes epiſtolam ad illum, poſt multas culpationes in illum conjectas ita concluſam: Quia ergo & introitus tuus tantis periuriis initiatus, & eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem tuarum novitatum periclitatur, & vitam converſationemque tuam tam multiplici infamia dehoneſtaſti, obedientiam, quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos renuntiamus &c.“ Litteras huiusmodi inobedientiam continentes, ut ad annum 1076. habet BERTHOLDUS ſeu BERNOLDUS HERMANNI *Contracti* continuator in Mſc. *Murenſi*, „per legatos, & quemdam parmenſem regis properanter ad *Romanam* ſynodum dirigebant, ubi litteris & mandatis publice in audientia totius conventus recitatis Domno papæ inobedientia deliberata pronuntiabatur, & ut de cathedra deſcenderet, cui indignus præſideret, ex parte regis comminatorie ſatis imperabatur.“

tus, verba ſunt mox citati continuatoris, *clamationis, & in legatos illos non ordinatæ incurſionis excreverit, noverint illi, qui præſto fuerint; hoc unum ſit noſtrum inde dixiſſe, Domnum apoſtolicum, non ſine ſui ipſius corporis magno ſatis periculo vix eos Romanorum manibus ſemivivos eripuiſſe.* Sedatis turbis, dum, teſte annaliſta *Saxone*, papa coram ſynodo declarat, qua manſuetudine regem de magnis criminibus corripuiſſet, utque epiſcopos a captivitate liberaret, quanta ſuavitate rogaſſet & iuſſiſſet, cunctis acclamantibus, ne talis contumelia remaneret inulta, *omnium conſilio & conſenſu* HENRICUM *ſynodali iudicio damnavit, regisque nomine & honore privavit, atque anathematis gladio percuſſit* GREGORIUS. Plura de hac ſynodo eiusque auctoritate laudatus continuator HERMANNI *Contracti* accumulavit, ex pſeudo-decretalibus præſertim. *His omnibus*, addit, AGNES *imperatrix mater regis aderat, cuius animam ipſius gladius damnationis non parum ſauciaverat.*

XXIII. Quis hæc tanta & tam enormia una anni particula præcipitanter adeo perpetrari potuiſſe ſibi in animum induceret, niſi uno conſenſu omnia illius ævi id atteſtarentur monumenta, paſſimque conceptis verbis per longum & latum extarent diræ & fulmina, atque res ipſa funeſtiſſimis exitialibusque ſeſe prodidiſſet effectibus? Hinc enim GREGORIUS, ſeditione *Romæ* exorta, ſede ſua extorris, in *Germania* omnia plena turbis & conſpirationibus. Qui miſerrimo hoc eccleſiæ & reipublicæ fato afficiebantur, ipſo anno 1076. quo HENRICUS paſcha *Traiecti* celebravit, RUDOLPHUS nempe, WELPHO, BERTHOLDUS, cum ADALBERONE epiſcopo *Wirzburgenſi*, HERIMANNO *Metenſi* & aliis plerisque epiſcopis, convenientes conſilia conferebant,

Principes iam de novi regis electione deliberant an. 1076.

bant, in tantis calamitatibus, quibus reſpublica vexabatur, quid facto opus eſſet. Sed incaſſum tunc omnia hæc aliaque pacis ac tranquillitatis ſtudia, ut paſſim apud chronographos, explicatius autem apud LAMBERTUM *Schaffnab.* legere eſt. Hic nobis eosdem iterum nominat cum RUDOLPHO noſtro aliisque, qui habito *Ulmæ* conventu ſtatuerunt, ut omnes, quicumque reipublicæ conſultum vellent, XVII. Kal. *Nov.* *Triburiam* convenirent; *hoc Sueviæ, hoc Baioariæ, hoc Saxoniæ, hoc Lotharingiæ, hoc Franciæ Teutonicæ principibus denuntiaverunt. Eaque exſpectatione ſuſpenſis atque attonitis omnibus epiſcopus Moguntinus & alii quamplures, qui eatenus partes regis vehementius tuebantur, ab eo defecerunt, & adiuncti ſupradictis principibus, ad meliorandum regni ſtatum ardentiſſimo zelo exarſerunt*, ut LAMBERTUS
a b narrat apud PISTORIUM a), ac poſtea b) memorat, ſtatuta iam die iuxta condictum principes *Sueviæ* & *Saxoniæ* *Triburiam* ampliſſimo numero conveniſſe, obſtinatis mentibus ad ſubmovendum a negotiis regni HENRICUM, aliumque, in quem communis electio conſenſiſſet, ei ſubſtituendum.

Interea rex contractis in unum ſuæ partis aſſertoribus, in villa, quæ dicitur *Oppenheim*, ſe continebat, *Rheno* fluvio utraque caſtra dirimente, frequenterque ad eos quotidie legatos mittebat, pollicitus omnium, quibus eos offenderat, deinceps emendationem, ac bona quæque de ſe ſperare iubens, imprimis vero cum ſede *Romana* reconciliationem promittens: utque vulgatus apud
c URSTISIUM c) BERTHOLDUS ſeu BERNOLDUS refert, HENRICUS in colloquio menſe *Octobri* an. 1076. apud *Oppenheim* habito, quod alii paſſim maximum vocant, ſe in Purificatione S.

MA-

a) T. I. Script. *Germ.* p. 412. b) p. 414. c) Script. *Germ.* P. I. p. 346.

MARIÆ tunc proxima Domino papæ apud *Augustam* præsentaturum firmissime spopondit. Nam & illuc Dominum apostolicum ipse cum principibus regni invitaverat. Ineunte vero anno sequente, ut idem ad an. 1077. a) scribit, HENRICUS *propriæ causæ diffidens, & idcirco generalem auctoritatem fugiens, furtive Italiam contra papæ præceptum & consilia principum intravit, & Apostolico ad condictum diem Augustam tendenti ante Purificationem S. Mariæ Canusii obviavit, frustra ducibus* RUDOLPHO, WELFONE & BERTHOLDO *omnes vias, omnesque aditus, qui ad Italiam mittunt, quos vulgato nomine Clusas vocant, appositis custodibus, ut nulla illic ei copia transeundi fieret, anticipantibus*, HENRICO *per Burgundiam alpes transcendente.* Sed hæc aliaque omnia multo copiosius enarrat Msc. *Murense*, illuc ex monasterio *S. Blasii* delatum, ubi fuit alter ille continuator HERMANNI *Contracti* BERNOLDUS presbyter *S. Blasii*, haud confundendus cum BERTHOLDO discipulo eiusdem HERMANNI, cuius etiam vitam & mortem descripsit, manuscripto illi insertam. Refertur ibi inter alia, HENRICUM per legatum suum *Trevirensem* archiepiscopum obnixe satis rogasse pontificem, *ut Romam eum ad papam reconciliando pervenire liceret; nequaquam* vero *papam consentire* voluisse, *sed in præsentia regni primatum apud Augustam Vindelicam a se audiendus & reconciliandus sibi occurreret, apostolica auctoritate præceperat, & illo se venturum ad eos circa festum Epiphaniæ, si Dominus voluerit,* promisisse.

a) Loc. cit. p. 347.

CAPUT II.

FACTA ET FATA RUDOLPHI ANTI-CÆSARIS.

§. I.

RUDOLPHUS in regem electus an. 1077.

Tandem eo res delapſa eſt, quod diu *Saxones* agitabant, de rege novo in locum HENRICI eligendo, quum is adhuc in *Italia* quidem eſſet, ſed iam a papa abſolutus *Canuſio* receſſiſſet, atque in alia omnia, quam quæ præſens GREGORIO interpoſita iuramenti religione promiſerat, concederet. Malo ſtatim omini fuit pontifici, quod, quum ipſe papa reconciliationis cauſa Miſſas faceret, & in loco Communionis regi ad ſe vocato euchariſtiam porrigeret, quam antea ipſi interdixit, rex eius participatione ſe indignum fore conteſtans, incommunicatus digrederetur, ut teſtatur continuator HERMANNI *Contracti* in codice *Murenſi:* vulgatus autem BERTHOLDUS apud URSTISIUM dati ſolum ſacramenti per iuramentum meminit.

Hoc autem iuramentum, inquit ad annum 1077. *nec XV. dies obſervavit, captis venerabilibus epiſcopis* GERALDO *Oſtienſi &* ANSELMO *Lucenſi. Unde & papa miſſis legatis, principibus regni declaravit, ſe parum profeciſſe in eo, quod illum in communionem receperit, quum ſimoniaci & excommunicati non minus tunc foverentur ab eo, quam pridem. His ergo auditis principes regni generali colloquio apud Forcheim* 3. *idus Martii habito egregium* RUDOLPHUM *ducem ſibi in regem ſublimarunt, quem VII. Kal. April. ubi eo anno medium Quadrageſimæ occurrit, coronarunt.* Omnino hæc iis conveniunt, quæ anno 1080. in conciliis *Romano* & *Wirzburgenſi* a) ab ipſo pontifice atque ab

a) T. X. Concil. *Labb.* p. 383. & 385.

eius in *Germania* legatis palam ſunt expoſita. Narrat quoque PAULUS *Bernriedenſis* in vita GREGORII VII. apud MABILLONIUM a), facto conventu apud *Forcheim* legatos litteras apoſtolicas in medium protuliſſe, *quam parum dominus papa de promiſſione regis lætatus fuerit, quum adverſarii eccleſiæ plus audaciæ quam terroris ex præſentia regis acciperent. Ad hoc aiebant, eum petere, ut novi regis electionem, de qua audierat, in adventum eius differrent, ſi hoc ſine periculo fieri poſſe perpenderent.* a

Convenerant autem ex condicto ad III. id. *Martii*, quos paſſim chronographi nominant, *Moguntinus*, *Wirzburgenſis* & *Metenſis* epiſcopi, RUDOLPHUS, WELFO, BERTHOLDUS, OTTO de *Northeim* duces, & alii plerique ex principibus *Teutonicis*, atque ad ſuum conventum *Romanum* pontificem invitarunt: ut quoniam in Purificatione S. MARIÆ *Auguſtam*, iuxta condictum, dolo regis præventus occurrere non potuerat, ſaltem in *Forcheim* ſtatuta die præſto eſſe ſatageret, atque ſedandis bellorum civilium tempeſtatibus, quibus iam diu periclitaretur reſpublica, apoſtolici moderaminis gubernaculum adhiberet, ut habet LAMBERTUS *Schaffnaburgenſis*. Addit porro b) GREGORIUM papam b acceptis litteris, tametſi iam pridem frequens ad eum fama detuliſſet, regem mutata mente hoſtiles adverſus ipſum ſpiritus gerere, & contemtis conditionibus, quibus ab excommunicatione abſolutus fuerat, animo fixum tenere, ut leges eccleſiaſticas militari manu debellaret; miſiſſe tamen ſe unum ex cardinalibus *Romanæ* eccleſiæ epiſcopis, GREGORIUM nomine, & alios, quos huic negotio idoneos arbitrabatur, qui ei dicerent, tempus eſſe, ut promiſſa compleret, conventuros in *Forcheim* III. id. *Mar-*

a) Act. SS. ſec. VI. P. II. p. 443. b) PISTOR. l. c. p. 423.

tii principes *Teutonici* regni, ad componendum, ſi Deus votis annuat, ſtatum reipublicæ: veniret ergo, ut pollicitus ſit, & crimina, quibus innocens, ut ipſe aſſerat, a calumniatoribus ſuis impetitus ſit, ſe cognitore & iudice præſidente dilueret.

Tergiverſationem Henrici, quum ſane conditionem acceptare nequiret, pontifex per ſuos legatos Bernardum *Maſſilienſem* abbatem & cognominem diaconum cardinalem S. R. E. principibus, qui in *Forcheim* conventuri erant, ſimulque ſuam excuſationem proponi fecit, ſe intercluſo Henrici aditu nec tuto in *Germaniam* progredi, nec regredi *Romam* poſſe. Princi-
a pes tamen, ut apud Paulum *Bernriedenſem* a) legere eſt, id, quod de Henrico *Romæ* in concilio exauctorando auctoritate pontificia actum iam diximus, *diligentiſſime ſcrutati, ſe quidem a regis* Henrici *poteſtate penitus emancipatos, nec ſe illi, plusquam illum illis, alicuius fidelitatis vel ſubiectionis obnoxios, ut liberi homines* Rudolphum *ducem Suevorum, fruſtra multum renitentem, fruſtraque vel unius horæ inducias ad conſulendum petentem regia dignitate ſublimaverunt, virum ſane in humilitate præcipuum, regio honori ætate & moribus idoneum, eique ſe debito fidelitatis ſacramento ſubdiderunt, Saxones* nimirum & *Suevi. Cæteri principum, civitatesque, quæ ſunt circa Rhenum, omnesque Francorum populi, non receperunt eum, eoquod iuraſſent regi* Henrico, *& iuramenta temerare noluiſſent.*

Iuxta annaliſtam *Saxonem* Rudolphus regnavit in illis dumtaxat *Teutonici* regni partibus, quæ ab Henrico iam excommunicato defecerant, prius autem *Saxones* quam *Suevi.* Quumque fœdere antea rupto, deinceps vero iterum renovato, iam in

a) Loc. cit. p. 444.

in *Oppenheim* de novo rege conſtituendo ſermones conferrent principes, ut etiam BRUNO de Bello *Saxonico* a) loquitur, *Saxones ex Suevis, Suevi ex Saxonibus unum quemlibet volebant eligere.* Ex dictis vero intelligitur, quod apud ALBERTUM *Stadenſem* ad annum 1076. habetur b) *quotquot igitur receperunt verbum papæ, elegerunt* RUDOLPHUM *in regem, additique ſunt eius parti Saxones & Suevi.* Atque hinc ratio patet, quod nonnumquam apud veteres in regem *Saxonum* electus diceretur RUDOLPHUS, quum iam eſſet dux *Suevorum*, haud raro etiam a veteribus rex *Saxonum* adpellatus. Alicubi quoque Rex *Arle* ob partem regni *Arelatenſis*, quam in *Burgundia* tenuit, dicitur. In cuius rei fidem inſtrumentum filiæ AGNETIS, BERTHOLDO *Zaringenſi* nuptæ, ex chartulario monaſterii *S. Petri* in *Nigra ſilva* proferemus in appendice. Nonnunquam porro in chartis vocatur Dux *Suevorum* & *Burgundionum*.

Quibus conditionibus.

II. Addit porro laudatus PAULUS *Bernriedenſis* c) RUDOLPHUM regnum, non ut proprium, ſed pro diſpoſitione ſibi creditum reputaſſe, iusque omne hereditarium in eo repudiaſſe, & vel filio ſuo ſe hoc adoptaturum fore penitus abnegaſſe; iuſtiſſime in arbitrio principum fore decernendo, ut poſt mortem eius libere non magis filium eius, quam alium eligerent, niſi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum inveniſſent. Iuxta BRUNONEM autem de *Bello Saxonico* alii alias conditiones interpoſuerunt, atque ipſe OTTO dux regem illum agnoſcere renuit, niſi honorem ſibi iniuſte ab HENRICO ablatum reſtituere promitteret. Sic & alii multi cauſas ſuas ſingulares in medium protulerunt: quibus tamen legati pontificii interceſſerint

a) FREHER. Script. *Germ.* p. 535. b) Pag. 138. c) Loc. cit.

rint dictitantes, RUDOLPHUM non esse singulorum, sed universorum regem.

Tamen, subdit, *quædam sunt ibi causæ specialiter exceptæ, quas, quod iniuste viguerant, deberet emendare, scilicet, ut episcopatus non pro pretio nec pro amicitia daret, sed unicuique ecclesiæ de suis electionem, sicut iubent canones, permitteret. Hoc etiam consensu communi comprobatum, Romani pontificis auctoritate est corroboratum, ut regia potestas nulli per hereditatem, sicut antea fuisset consuetudo, cederet &c.* Hæc iisque similia, ut passim alias, iisdem verbis in annalista *Saxone* etiam leguntur.

RUDOLPHI inauguratio tumultuosa.

III. Nec minus uterque conspirant in enarranda tragica RUDOLPHI unctione, quæ mox altera post electionem hebdomade facta est *Moguntiæ* ab archiepiscopo SIGEFRIDO XII. Kal. *April.* iuxta ALBERTUM *Stadensem* ad an. 1077. seu iuxta BRUNONEM
a de *Bello Saxonico* a) potius VII. Kal. *April.* eiusdem anni, quo do-
b minica IV. Quadrag. in diem 26. *Mart.* seu VII. Kal. *Apr.* incidit. b)

Longum foret, rem verbis BRUNONIS hic explicare, quam
c apud eumdem FREHERUM c) paucis complectitur WALTRAMUS episcopus *Numburgensis* in apologia adversus GREGORIUM VII. Postquam enim electionem RUDOLPHI circa hebdomadam

a) FREHER. Script. *Germ.* T. I. p. 212.

b) „Namque (ut iidem rem enarrant) quum ipsa die eius unctionis in Introitu Missæ invitaretur sub nomine *Ierusalem* tota fidelium ecclesia ad lætitiam spiritalem, & inde haberet omnis fere ecclesia, etiam in religiosis personis, ipso die ludendi non spernendam consuetudinem; prandio novi regis finito, iuvenes eius ad ludum venere communem, causam ob duplicem, cum regiæ consecrationis, tamen magis antiquæ consuetudinis. Urbani vero videntes hunc ludum, in crudelem sunt accensi zelum, & quod magis favebant ex-regi quam regi, cogitabant illum ludum turbare, & semen aliquod, unde seditio nasceretur, immittere, ad quam sedandam dum rex procederet, modo quolibet occisus interiret."

c) Loc. cit. p. 275.

dam tertiam Quadrageſimæ, in qua baptiſmi ſcrutinia initiantur, commemoraſſet, ſugillandi inde epiſcopos, imprimis SIGEFRIDUM, qui ungendi coronandique regem munere perfunctus eſt, occaſionem arripit ex funeſtis effectibus huius electionis a). a

BERTHOLDUS *Conſtantienſis* apud URSTISIUM b) maximam b
hanc ſeditionem ex ſuggeſtione clericorum ſimoniacorum factam eſſe narrans, de violatione eccleſiæ ſilet, irruptione vero in palatium facta religioſiſſimos etiam clericos & monachos ad mortem fuiſſe quæſitos perhibet: *Sed*, addit, *dextera Dei milites novi principis ita protexit, ut nullum, ne unum ex ſuis perderent; ex adverſariis autem plusquam centum partim ferro, partim aqua necarentur.* Subdit abbas *Urſpergenſis*, quod iisdem verbis legitur in Mſc. *Vindobonenſi* codice, quem antiquiorem Annaliſtæ *Saxonis* purioremque putamus, ex cæde a militibus RUDOLPHI facta exarſiſſe vulgus, multisque per magnos ictus obtruncatis cæteros in curtem palatii fugaſſe, ipſasque regias ædes incendere voluiſſe, niſi epiſcopus SIGEFRIDUS pro veloci diſceſſione RUDOLPHI obſidem ſe interpoſuiſſet. Ita RUDOLPHUM & cunctos, qui cum eo venerant, eiectos fuiſſe, ipſum SIGEFRIDUM epiſcopum magnis blaſphemiis eliminatum *Moguntiam* non intraſſe amplius. Quod quidem, quantum ex monumentis veteribus conſtat, veritati conſentaneum eſt.

IV.

a) „Nam (inquit poſt alia) circa hanc tertiam Quadrageſimæ hebdomadam canitur per ſupradictos epiſcopos quaſi bellicum quoddam ſignum, ut congregent populum, conſtituere ſibi regem novum. Qui certe RUDOLPHUS quum media Quadrageſima, die ſcilicet dominica, per SIGIFRIDUM *Moguntinæ* eccleſiæ archiepiſcopum ordinaretur, ſanguine multorum hominum initiatur: quoniam *Moguntinæ* plebis multitudo conclamans atque concurrens ad eiusmodi ſeditionis portentum repellitur, fugatur atque occiditur, & eccleſia, in qua facta eſt hæc ordinatio, ſanguine etiam violatur.

b) Script. *Germ.* P. I. p. 347.

An his GREGORII P. auctoritas intercesserit?

IV. Idem abbas *Urspergensis* mox antea retulerat, quod alii essent, qui dicerent, ipsius papæ auctoritate & consilio RUDOLPHUM in regno sublimatum, alii vero negarent, HENRICUM regem ab eo fuisse excommunicatum: loca porro quædam ex epistolis GREGORII VII. affert, quæ tum excommunicationem HENRICI eiusque exauctorationem, cum RUDOLPHI electionem attinent sine GREGORII factam consilio. Mox vero ipsam hanc RUDOLPHI electionem memorans, factam illam dicit *in præsentia quorumdam Romanæ sedis legatorum non voluntarie annuentium;* quæ omnia ad verbum in supra citato Msc. bibliothecæ cæsareæ leguntur. In chronico autem ALBERTI abbatis *Stadensis*, quum iisdem omnino verbis RUDOLPHI electio referatur, adiecta nihilominus de legatis omittuntur.

Neque enim deerant, qui hanc RUDOLPHI electionem annuente GREGORIO factam esse sibi in animum inducerent. Sæpe laudatum chronicon Msc. *Petershusanum* memorat, duces *Alemannorum*, RUDOLPHUM nimirum, WELFUM & BERTHOLDUM statim post pugnam apud *Unstrot* regi rebellare cœpisse, ac diu inter se tractato consilio ad ultimum cum voluntate GREGORII P. convenisse *Forchemii* cum *Saxonibus*, & RUDOLPHUM *Suevorum* ducem constituisse regem. *Fuere tum*, verba sunt
a anonymi coævi de vita HENRICI IV. apud REUBERUM a), *qui dicerent, ab Apostolico eum* (RUDOLPHUM) *immissum, nec umquam tantæ virtutis virum magis avaritiæ, quam consilio cessisse. Et hoc in argumentum sumebant, quod apostolicus tacuit, iuxta illud comici, qui tacet, satis laudat.* Addi posset, haud adeo invito pontifice electum fuisse RUDOLPHUM, quod, ut supra audivimus, GREGORIUS non penitus reiecerit, sed ad suum adven-

a) Script. rer. *Germ.* p. 261.

ventum differri voluerit electionem novi regis. Quare etiam legati pontificii electioni præsentes, ut refert PAULUS *Bernriedensis* in vita GREGORII VII. a) quum principes electionem urgerent, *legationis suæ non immemores satis compendiose ad hæc responderunt, sibi quidem optimum videri, si regis constitutionem, iuxta eorum legationem, usque ad adventum domini papæ sine periculo differre possent. Cæterum provisionem regni non tam in eorum consilio, quam in principum arbitrio sitam esse dixerunt, qui rempublicam in manibus tenerent, ac totius regni damnum, sive proficuum optime prænossent.* a

Affert deinde PAULUS, quidquid ex concilio *Romano* anni 1080. contra HENRICUM emanavit, ubi idem testatur pontifex, atque etiam ad aliorum testimonia provocat, principes elegisse RUDOLPHUM, *sine meo*, inquit, *consilio*, *vobis testibus*, ut etiam legitur apud LABBÆUM. b) Et paullo post c) in concilio *Wirtzeburgensi* eiusdem anni 1080. legati pontificii in eamdem sententiam loquuntur. *Prædicti*, aiunt, *episcopi & principes ultramontani audientes illum* (HENRICUM) *non servare quod promiserat, quasi de eo desperati absque domni papæ consilio elegerunt sibi* RUDOLPHUM *ducem in regem.* Demum vero omnium luculentissimum testimonium, Deo in testem vocato, dat ipse pontifex in epistola 28. lib. IX. d) ad universos fideles an. 1081. sic effatus: *Verum illud admodum vestræ dilectioni notificare non dedignamur, Deo teste,* RUDOLPHUM, *qui rex ab ultramontanis ordinatus est, non nostro præcepto sive consilio regnum tunc suscepisse: insuper etiam nos in synodo decernentes firma-*

b c

d

a) MAB. Act. SS. sec. VI. P. II. p. 444. n. 94.
b) T. X. Concil. p. 383.
c) Ibid. p. 385.
d) L. c. p. 296.

mavisse, nisi archiepiscopi & episcopi, qui illum ordinaverant, hoc factum suum recte defendere potuissent, tam ipsos a dignitatibus suis, quam & præfatum RUDOLPHUM *a regno deponere. Enimvero interim quis hanc nostram dispositionem interturbaverit, & multi vestrum sciunt, & nostram scientiam nequaquam fugere potest.*

Et quatenus?

V. Ubi probe animadvertendum est, GREGORIUM nulla de electione a principibus imperii *Teutonici* iniecta mentione a solis archiepiscopis & episcopis, qui RUDOLPHUM ordinarant, rationem exposcere. Ipso anno 1077. quo electus fuerat RUDOLPHUS, legatis in synodo *Romana* designatis pro concilianda pace in regno *Teutonico*, id in litteris ad *Germanos* denuntiandum
a exprimit, in ea synodo definitum esse a), *quod nos contra eam partem, quæ pacem fastu superbiæ refutaverit, & cui iustitia non faverit, omni conamine omnibusque modis potestate beati Petri*
b *insurgamus.* In sequente mox epistola b) UDONI *Trevirensi* archiepiscopo HENRICI fautori in eamdem sententiam præcipit, *ut cui iustitia favet, tu omnino faveas, & hoc idem facere clericos*
c *& laicos, quos poteris, ex parte nostra commoneas* c).

BONI-

a) L. c. p. 188. b) Ibid. p. 190.

c) BERTHOLDUS seu BERNOLDUS noster (URSTIS. *Script. Germ.* P. I. p. 348.) ad hunc annum „eo tempore (scribit) papa utrique regi ex parte *S. Petri* præcepit, ut treugas ad invicem facerent, & adventum eius ad *Teutonicas* partes pro dirimenda lite non impedirent, sed debitum consilium & auxilium ad hoc iter ei præberent. Legatis autem suis, qui adhuc in *Teutonicis* partibus morabantur, præcepit, ut ex duobus regibus illum excommunicarent, qui prædictæ legationi non obediret: obedientem vero ex parte *S. Petri* in regno confirmarent, quod & non multo post factum est, scilicet in die sequenti post festivitatem sancti MARTINI *Goslare*, HENRICO pro inobedientia iterum excommunicato, RUDOLPHO pro obedientia in regnum sublimato. Nam HENRICUS prædictam legationem papæ nec suscipere dignatus est, nec animum ad treugæ compositionem, sed ad tyrannidis crudelitatem intendit.“

BONIZO Sutrienſis *de perſecutione eccleſiæ*, ab OEFELIO nuper primum editus a), idem nobis eiusdem legationis negotium a
ſignificat, atque etiam legatos nominat, PETRUM *ſcilicet Albanenſem, virum religioſiſſimum, qui ante epiſcopatum temporibus papæ* ALEXANDRI, *ex præcepto abbatis ſui* (S. IOANNES *Gualbertus* is erat) *contra Simoniacam per medios ignes tranſivit illæſus* (unde & PETRUS igneus dictus), *&* UDALRICUM *Paduanum epiſcopum, virum valde eloquentem, & Aquileienſem patriarcham: qui alpes tranſeuntes regem in Baioaria inveniunt; ſed neque ſupplicationibus, neque precibus, neque alia quavis calliditate potuerunt efficere, ut ſynodum pateretur rex* HENRICUS *in ſuo eos regno celebrare, niſi* RUDOLPHUM *absque vocatione vellent excommunicare. Quod quum illi facere noluiſſent, interdicentibus canonibus, infecto negotio Romam rediere.* Addit poſtea initio libri noni, HENRICUM interea deliberato animo *Romam* miſiſſe legatos LEINARUM *Bremenſem* archiepiſcopum, *Paderbornenſem*, & alios quamplures, *ſuperbam & inauditam portantes legationem, ut ſi vellet papa* RUDOLPHUM *absque iudicio excommunicare, debitam ei præberet obedientiam; ſin aliter, adquireret ſibi papam, qui faceret ſecundum eius voluntatem.* Nihilominus GREGORIUS iterum pacem agitat & conventum epiſcoporum ac laicorum, coram legatis apoſtolicis habendum, *ſiquidem* HENRICO *vel* RUDOLPHO, *qui de regni gubernaculo inter ſe decertant, amplius iuſtitia faveret*, ut ineunte an. 1078. ad *Germanos* perſcripſit b). Quo ipſo anno poſtea legati HEN- b
RICI & RUDOLPHI, quisque pro ſuo domino, *Romæ* in frequenti concilio iuraſſe leguntur c), *quod nullis dolis colloquium* c
legatorum ſedis apoſtolicæ in Teutonico regno impedient.

a) Script. rer. *Boic.* T. II. p. 817. b) *Labb.* T. X. Concil. p. 195. c) Ib. p. 371. Dum

Dum vero sequenti anno RUDOLPHI legati gravissimas contra HENRICI factionem querelas in concilio *Romano* afferrent, ut apud PAULUM *Bernriedensem* legitur, compluresque decernerent, gladium apostolicum esse evaginandum, pontifex tamen legatis suis PETRO *Albanensi* & ALTMANNO *Pataviensi* scribens:
a *sic vos*, inquit, a) *utrique parti communes, & ab omni suspicionis nævo, quantum in vobis est, cum divinæ gratiæ adiutorio exhibete immunes, ut iustitiæ semper, & nullo modo partibus faveatis, sicut habetis formam nostram &c.* Quin adhuc an. 1080. quum HENRICUS pontificem in synodo rogasset per suos legatos episcopos *de consentaneis suis Virdunensem & Osnabrugensem, ut ei iustitiam faceret, quod & nuntii* RUDOLPHI, *qui præsentes aderant, laudaverunt*, statutum est in eadem synodo, in partibus ultramontanis fieri colloquium. Tandem in ipsa excommunicationis sententia, quæ eo anno *Romæ* in concilio repetita est, non aliter, quam principum supposita electione, pontifex denuntiat, *ut* RUDOLPHUS *regnum Teutonicum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem, ad vestram fidelitatem ex parte vestra dono, largior & concedo, omnibusque sibi fideliter adhærentibus absolutionem peccatorum, veram benedictionem in hac vita & in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim* HENRICUS *pro sua superbia & inobedientia & falsitate a regni dignitate iuste abiicitur: ita* RUDOLPHO *pro sua humilitate, obedientia & veritate, potestas & dignitas regni*
b *conceditur.* b)

Ut hæ diræ excusari quodammodo, quoad HENRICUM attinet, mitioremque in partem accipi queant, ratio ex illa ipsa formula desumi potest: pontificem nempe, veluti ab utraque parte inter-

a) Loc. cit. p. 386. b) Loc. cit. p. 384.

interpellatum, compromiſſoria quadam uſum eſſe poteſtate. Ibi enim a) narrata RUDOLPHI electione, *ſine meo conſilio*, ut atteſtatur, facta, mox addit, RUDOLPHUM feſtinanter ad ſe miſſo nuntio indicaſſe, ſe coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe; tamen ſe paratum ſibi omnibus modis obedire: & ut hoc verius credatur, ex eo tempore eamdem ipſi ſemper animi denuntiaſſe ſententiam. b)

Nullus vero dubito, virum ſanctiſſimum, ſiquidem tanta mala eccleſiæ & reipublicæ inde exoritura præſenſiſſet, ab hac ſibi temperaturum fuiſſe cenſura, ſecutus regulas & exempla SS. Patrum AMBROSII, CHRYSOSTOMI, AUGUSTINI, GREGORII M. &c. Strinxit eam quidem tardius, initio ſtatim animo fovens reſtituendæ pacis conſilia, ut ad nuntios ſuos BERNARDUM diaconum cardinalem & cognominem abbatem *Maſſilienſem* epiſtola 23. lib. IV. c) perſcribit; & mox ſequente *Germanis* inſcripta iam tunc utramque partem in ſe veluti compromiſiſſe teſtatur d): *uterque namque rex*, inquit, *a nobis*, *imo ab apoſtolica ſede*, *cui licet indigni præſidemus*, *adiutorium requirit*. *Et nos*

a) Ibid. pag. 383.

b) „Interea (pergit) HENRICUS cœpit me precari, ut illum contra prædictum RUDOLPHUM adiuvarem: cui reſpondi, me libenter facere, audita utriusque partis ratione, ut ſcirem, cui iuſtitia magis faveret. Ille vero putans ſuis viribus eum poſſe devincere, meam contemſit reſponſionem. Poſtquam autem perſenſit, ſe non poſſe, ſicut ſperavit, agere, duo epiſcopi, *Virdunenſis* videlicet & *Oſnabrugenſis* de conſentaneis ſuis *Romam* venerunt &c." ut paullo ante ex actis concilii *Romani* retulimus. Tum additur: „Ego enim, ſicut vos mihi teſtes eſtis, patres & domini, uſque hodie nullam partem diſpoſui adiuvare, niſi eam, cui plus iuſtitia faveret. Et quia putabam, quod iniuſtior pars colloquium nollet fieri, ubi iuſtitia ſuum locum ſervaret, excommunicavi & anathemate alligavi omnes perſonas, ſive regis, ſive ducis, aut epiſcopi, ſive alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non fieret."

c) Ibid. p. 170.

d) Ibid. p. 171.

nos de misericordia omnipotentis Dei, & adiutorio beati Petri confidentes, parati sumus cum vestro consilio, qui Deum timetis, & christianam fidem diligitis, æquitatem causæ utrimque decernere, & ei præbere auxilium, cui iustitia ad regni gubernacula favere dignoscitur. Quam quidem sententiam animo constanter tenuit, ut erat mente obfirmatior, diu tamen retinuit, atque vix tandem ante interitum RUDOLPHI, in eius gratiam opere declaravit, missa ei, ut plerisque videtur, sed nonnisi an. 1080. regali corona. Ante ipsam quoque RUDOLPHI electionem GREGORIUM VII. vel per se vel per suos legatos indicia præbuisse, ex quibus coniiciebant *Saxones*, voluntati pontificis consentaneum esse, quod adversus HENRICUM actum est, colligitur ex epistola *Saxonum* ad GREGORIUM, apud BRUNONEM de bello
a *Saxonico.* a)

Gesta HENRICUM inter & RUDOLPHUM anti-cæsarem anno 1077.

VI. Vel ex iis vero, quæ hucusque diximus, palam fit, hæc ad annum ipsum, quo RUDOLPHUS electus est rex, referri haud posse, nec eousque statim GREGORIUM papam RUDOLPHO regi detulisse, quamquam animo ab illo haud alienum: unde & eius legati cum RUDOLPHO pascha apud *Augustam* celebrarunt. Post hanc solemnitatem ipse rex generale colloquium cum principi-

a) Rei vero totius complexum paucis adposite explicasse mihi videtur TRITHEMIUS in chronico *Hirsaugiensi* (T. I. p. 249.) ad an. 1077. relata electione & coronatione RUDOLPHI. „Quibus (ait) rex HENRICUS adhuc in *Italia* constitutus auditis, animo consternatus est, missisque ad papam legatis rogat, multa promittens, quatenus RUDOLPHUM ut invasorem regni excommunicare dignaretur. Papa vero, quamvis non præceperit alium regem quempiam elevari, deiectionem tamen hostis non potuit non æquanimiter audire. Remandavit igitur HENRICO, se RUDOLPHUM, nisi prius audiretur, aut accusaretur canonice, nullatenus posse damnare. Misit nihilominus papa GREGORIUS RUDOLPHO regi coronam hunc versiculum continentem:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho."

cipibus regni habuit apud *Ezzelingen*, ut BERTHOLDUS ad hunc annum narrat, ſive apud *Eſslingen* ad *Nicrum:* quo ſoluto ipſe cum admodum paucis ad obſidendum quoddam caſtrum perrexit. Caſtrum id nobis BURCHARDUS *de caſibus monaſt. S. Galli* c. 7. apud GOLDASTUM a) nominat *Sigmaringen*, a quo HENRICUS ex *Italia*, ubi paſcha *Veronæ* tranſegit, per *Carinthiam* redux RUDOLPHUM turpiter fugarit. HENRICI in *Germaniam* reditum abbas *Urſpergenſis* & Mſc. bibliothecæ Cæſar. *Vindobon.* circa Kalendas *Iulii* conſignant. In Mſc. chronico *Petershuſano* pariter RUDOLPHUS primum poſt ſui electionem paſcha apud *Auguſtam Vindelicorum* egiſſe perhibetur, unde digreſſus obſederit caſtellum, quod *Sigmaringen* dicitur; ſed comperto adventu regis HENRICI, qui per iuga alpium cum exercitu ad liberandam munitionem veniebat, inde aufugit, & in *Saxoniam* perrexit. Mox vero addit, HENRICUM FRIDERICO *Hohenſtaufio*, a caſtro gentilitio ſic dicto, ducatum *Sueviæ*, & filiam ſuam dediſſe in matrimonium, quod chronicon *Auguſtanum* ad an. 1079. refert. Id tamen recentiores non pauci, OTTONEM *Friſingenſ.* ſecuti, poſt mortem demum RUDOLPHI reponunt, in prælio ad *Eliſtrum* an. 1080. occiſi, in quo BRUNO *de bello Saxonico* inter principes, qui pro HENRICO pugnarunt, FRIDERICUM ducem nominat.

HENRICUS, ut ad annum 1077. redeamus, impoſita ſibi corona apud *Ulmam Sueviæ*, in ducatu RUDOLPHI, interdictum ſibi regnum uſurpavit; omnia vero circumquaque præda, ferro & igne devaſtavit, uti legitur apud BERTHOLDUM. Hic porro refert, RUDOLPHUM regem pentecoſte apud cellam *S. Aurelii*, monaſterium ſcilicet *Hirſaugienſe*, celebrata, legatum quemdam

a) Script. rer. *Alem.* T. I. P. I. p. 71.

ad

ad apoſtolicum GREGORIUM VII. direxiſſe, ipſum vero in *Saxoniam* properaſſe. Menſe *Auguſto* urbem *Wirceburg* cum magno exercitu a RUDOLPHO fuiſſe obſeſſam, plerique omnes memoriæ prodiderunt. Id autem BRUNO de bello *Saxonico* cum anna-
a liſta *Saxone*, apud FREHERUM a) iisdem verbis refert, RUDOLPHUM, ceu regem chriſtianum, ac Deum timentem, ſecum cogitaſſe, quod ſi urbs capta fuiſſet, ab eccleſiis vel eccleſiaſticis rebus diruendis aut diripiendis vulgus ſemel intromiſſum nec a ſeipſo revocari amplius aut cohiberi poſſe, unde lente admodum in obſidione proceſſerit. Interea HENRICUS, menſe *Auguſto* iam pene transacto, adeſt, cui RUDOLPHUS ſoluta obſidione occurrit. HENRICUS autem, tum viribus impar, per ſuos pacis tractatum mutuis colloquiis ſimulat, donec exercitu eius ex *Bavaris* & *Bohemis* aucto, *factæ pacis oblitus*, verba BRUNONIS ſunt, *iam noſtros a tergo minus cautos invaderet, ſi principes illi, qui pacis faciendæ vel mediatores vel auctores fuerant, fidem ſuam contaminare non timerent. Itaque noſtrates domum cum pace reverſi, annum fuerunt integrum, nec lædentes aliquem, nec ab aliquo læſi.* Sunt tamen, qui prælium hoc anno conſertum aſſerant, ex quo ſuperior diſceſſerit RUDOLPHUS. Alia narrat a-
b nonymus apud REUBERUM b), ſed omnia confundit.

Inter præcipuos teſtes hic notandus venit continuator HERMANNI *Contracti* in Mſc. codice *Murenſi*, qui fuſiore ſermone ea proſequitur, quæ in vulgato BERTHOLDO pauciſſimis perſtringuntur: multa præterea habet articulatim relata, quæ fruſtra alibi quæras, quæve hic iuvat breviter attingere, quantum ad an. 1077. pertinent. Eo igitur anno imperii *Germanici* Optimates,

cer-

a) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 213. b) pag. 261.

cernentes ſe deluſos ab HENRICO in iis, de quibus ſuperiore anno in *Oppenheim* conventum fuerat, ad III. id. *Martii* conventum in *Forcheim* indixerunt, ut *ibi habito colloquio & prudenti conſilio definite terminarent, quidquid eis optimum videretur de ſtatu regni & eccleſiæ, & vitæ illorum neceſſaria contuitione,* RUDOLPHI imprimis: qui, ut chronographus noſter memorat, cum conſilio cæterorum regni principum, poſtquam regem cum papa reconciliatum audierant, nuntium ad eum direxit in Italiam, *nimis obnixe & dignanter obſecrans, ne ipſe omnino in Teutonicas partes veniret, priusquam aut papam aut imperatricem illuc præmitteret, qui ipſi dignam ſuſceptionem & pacificam ſtudioſe præpararent. Ad hoc ſane papa ab eodem legato conventus, & invitatus, ſeſe paratiſſimum exhibuerat, ſed nonniſi accepta ab ipſo rege pacis & fidei ſecuritate, iureiurando ſibi conteſtata.* Detrectante vero id HENRICO præſente, legati pontificii in condicto conventu palam nihilominus in mandatis ſe habere ſunt conteſtati, *ut ſi quolibet ſuæ cautionis artificio poſſet fieri, iſto adhuc aliquamdiu qualitercumque ſuſtentato, alium ſibi regem nequaquam conſtituerent.* Lectæ vero ſunt etiam pontificiæ litteræ, quibus præter ea, quæ papam inter & HENRICUM *Canuſii* acta ſunt, continebatur, *non multum de pœnitentiæ illius ſpe & profectu lætandum ſuis ſubditis &c.*

Proſequitur dein auctor electionis RUDOLPHI proceſſum, atque electi poſt tumultus *Moguntinos* iter per *Triburiam, Laurishaim, Ezzelingen, Ulmam* uſque & *Auguſtam*, indeque poſt paſcha reditum *Ulmam*, adventumque eius ad *Conſtantiam* poſteaque *Turegum.* HENRICO interim ex *Italia* redeunte plerique ad eum, deſerto RUDOLPHO, deficiunt, *qui*, ait noſter, *tanta*

auxiliatorum copia roboratus, Alemanniam prædis, rapinis, & incendiis devastaturus invaserat; scilicet a partibus Austri & Moinonis (Mœni) *fluvii per Nechoram* (Nicrum) *fluvium & Ezzelingen ad usque Ulmam & Danubium.* Ibi habito conventu RUDOLPHUM cum ducibus suis WELFONE, BERTHOLDO, cæterisque *Alemannorum* ei fidelium *quasi dignos iugulari* proscripsit. Constituerat quidem RUDOLPHUS, collectis undique militum copiis occurrere HENRICO, sed suorum consilio prohibitus in *Saxoniam* discessit: dum interim pontifex, datis per legatos litteris, utrumque ad pacis conciliationem hortatus, *illum, qui sibi in hac causa & cæteris regni sapientioribus & melioribus consentire & obedire nollet, publica excommunicatione ab ecclesiæ membris damnatum omnino separarent; ei autem, qui obediret, regnum & monarchiam apostolica auctoritate imponerent.*

RUDOLPHUS rex, ut idem scriptor pergit, cum suis omnibus promtissimus obedivit, dum econtra HENRICUS omnem legationi pontificiæ occlusit aditum e *Baioaria* in *Franciam* progressus. Ibi HENRICO RUDOLPHUS *Herbipolim* usque occurrit, urbemque illam obsedit, BERTHOLDUM & WELPHONEM duces, cæterosque militum suorum *Alemannorum* cuneos præstolatus. Detrectavit vero HENRICUS pugnam fugitque, ut tamen novo contracto exercitu, *Rheno*que transito, occursurum se RUDOLPHO simularet *Rhenum* inter & *Nicrum* fluvium, eius undique vadis qualitercumque obstructis, castrametatus. RUDOLPHUS, obsidione *Herbipolensi* relicta, ad pugnam paratissimus adest in adversa fluminis ripa, HENRICI exercitui adeo propinquus, ut colloqui cum eo posset, *ipseque inclamitavit & rogitavit*

tavit multotiens regem HENRICUM, *& una cæteros primicerios exercitus, ut ſi regnum ſibi tam pertinaciter tantoque iure obtinere decerneret, unum e duobus eligeret: aut ille ſibi ad ſe transvadandi locum daret; ſin autem, ipſe ad duo milliaria ripam & locum, quem occupaverat, relinquens retrogradiendo abiret, donec cum tota ſua militia ad ſe itidem tranſiret; & ſi in illo minime aliter confideret, hoc iureiurando pactum inviolabiliter confirmaret: demum vero iuſtiſſimi iudicis cenſuræ uterque cauſam ſuam devotiſſime commendarent; & ſic aut duello ipſi ſoli, aut ſi potius prudentioribus & melioribus regni conſilium arrideret, publico bello pro iuſtitia ſua comprobanda, Domino Deo moderatore, indilate concertarent. Rex autem* HENRICUS *aure ſurditoſa obmuteſcens nullum ei reſponſum dedit.*

Quo facto RUDOLPHUS, ut idem noſter chronographus addit, caſtra ſua ad dua removit milliaria, ut hoſtem provocaret, fruſtra tamen, unde & ad priorem rediit ſtationem. Itaque quidam de primatibus HENRICI, bellum omnino detrectantes, ducum BERTHOLDI & WELFONIS interventu pacem quæſierunt, mutuo inſtituto colloquio, condictoque ſolemni congreſſu, cui præter utrumque regem legati quoque pontificii adeſſent. Quo autem fruſtrato RUDOLPHUS in *Saxoniam* rediit, HENRICUS vero in eodem loco *Baioarios* ſuos diebus aliquot præſtolabatur, illosque de manu RUDOLPHI, cui fere obviaverant, pacis prædictæ interventu liberatos mox aſſumſit, quibuscum *Alemanniam* deprædaretur, atque ſic collecto haud modico exercitu fidem condictæ pacis conciliandæ perfidus fefellit. Quo audito RUDOLPHUS, quid tandem potius ageret non habuit, quam ut iudex æquiſſimus *Saxoniam* pacificaret. Ibi legati quo-

que pontificii, contracto episcoporum cæterorumque principum collegio, regem HENRICUM apostolicæ auctoritatis sententia II. Id. *Nov. Goslariæ* a communione Corporis & Sanguinis Domini, nec non a liminibus sanctæ ecclesiæ catholicæ iudicialiter damnatum omnino excommunicarunt, eique omnino regni gubernacula interdixerunt. "

Prosequitur dein chronista noster prolixo satis encomio laudes imperatricis AGNETIS, ad finem eiusdem anni 1077. XVIII. Kal. *Ianuar.* pie in Domino defunctæ, ut paucis notat vulgatus
a ab URSTISIO a) his verbis: AGNES *religiosissima imperatrix, iam XX. annis in viduitate Deo devotissime serviens, nec filio suo* HENRICO *contra apostolicam sedem in aliquo consentiens, Romæ requievit in pace, sepulta Romæ in ecclesia sanctæ Petronellæ;* quod ab aliis etiam passim est assertum. Materno AGNETIS pectori accelerandæ mortis causa quoque esse potuit HENRICUS filius. Id certe ex plerisque chronographis, atque etiam ex sæpius citato Msc. bibliothecæ cæsareæ *Vindobonensis* ad hunc annum constat, BERTHOLDUM *Zaringensem*, RUDOLPHI affinem, dum videret, ex arbitrio regis HENRICI cuncta impune vastari, præ dolore animi eo morbo, quem phrænesin vocant medici, fuisse occupatum, septemque diebus adhuc superstitem amentia verba quasi delirantem protulisse, sicque vitam suam terminasse.

Anno item 1078. VII. Vulgatus ab URSTISIO sub nomine BERTHOLDI *Constantiensis* presbyteri continuator HERMANNI *Contracti* cuncta hæc silentio præterit, mortemque BERTHOLDI *ex parte* RUDOLPHI, cui nempe coniunctissimus erat, ad annum 1078. refert, postquam exposuisset querelas, quas HENRICUS apud sedem

a) Pag. 348.

ſedem apoſtolicam *de ſua quaſi iniuſta damnatione* expoſuiſſet a). Quod res RUDOLPHI cum HENRICO propius attinet, poſtquam idem HERMANNI continuator, BERNOLDUS ſcriptor *San-Blaſianus*, in citato Mſc. *Murenſi* codice commemoraſſet, RUDOLPHUM regem in *Saxonia* apud *Goslariam* nativitatem Domini cum maximis *Saxonicæ* gentis copiis glorioſiſſime celebraſſe, regem autem HENRICUM exſpectaſſe legatos ſuos *Ratisbonam* redituros ex ſynodo *Romana* menſe *Martio* an. 1078. celebrata: *Rex quoque* RUDOLPHUS, pergit, *& ipſe pariter, nec non omnes conſentanei illius, legatos ſuos, non quos volebant, ſed qualescumque poterant, & hos artificioſa qualibet occaſione & diſſimulatoria ad eamdem ſynodum tranſmiſerant, Domno apoſtolico veram per omnia obedientiam demandantes, ut tyrannicam tamque flebi-*

a) Hæc ille in compendio, quæ copioſiſſime perſequitur idem HERMANNI continuator in laudato Mſc. *Murenſi* codice ad eumdem annum 1078. ad cuius finem prope laudati BERTHOLDI ducis mortem enarrat hoc elogio: „Ipſis diebus dux BERTHOLDUS chriſtianæ religionis amator & defenſor ſtudioſus, & ſecundum Deum & ſæculum ſobrie & ordinate honeſtæ vitæ cultor non modicus, æquitatis & pacis, modeſtiæ & diſciplinæ miſericordiarum, zelique Dei ſervantiſſimus legum & dignitatum paternarum executor ſcientiſſimus, vir magni conſilii prudentiſſimus, & tota morum honeſtate ſatis virtuoſus, anima ſua tota, qua oportuit, ſpe fideque in manus Dei commendata, domoque ſua prudenter diſpoſita, felici conſummatione diem, o utinam! feliciſſimus clauſerat extremum.“

De BERTHOLDI filio idem iam antea poſtquam commemoraſſet, motus quoque bellicos ſubiungit per *Alemanniam, Alſatiam* ac Orientalem *Franciam* excitatos, dum ex parte HENRICI regis bellis privatis victi, interfecti aut fugati ſunt, qui prædas, incendia & ſacrilegia plurima in ipſis eccleſiis ſacris temerarii violatores exercuerant: „Ex quibus (inquit) *Baſileenſis* & *Argentinus* antiepiſcopi vix fuga elapſi ſunt, militibus eorum a marchione, BERTHOLDI ducis filio, fortiter pugna proſtratis & captis, ruſticisque, quos per comitatus ſibi adiuratos in auxilium undique coëgerant, ex parte eunuchatis. Ipſa tempeſtate duces BERTHOLDUS & WELFO *Franciam* cis *Rhenum* ex magna parte præliis & incendiis devaſtaverant.“

flebilem ſanctæ eccleſiæ deſolationem paterna ſollicitudine reſpicere dignaretur. HENRICI legati & ipſi reverentiam & ſubmiſſionem erga *Romanam* ſedem in totius audientiæ conſeſſu confeſſi RUDOLPHUM ceu perfidum & temerarium regni invaſorem accuſabant, apoſtolici anathematis ſententia cum ſua factione damnandum. Pontifex vero pro dilatione *tempus neceſſarium ad tantæ rei examen* obtendebat, *ne quid iniuſte in alterutrum*
a *illorum ab apoſtolica ſede decerneretur.* a)

Omnia chronographus noſter minutatim ita proſequitur, quaſi præſens ipſe adfuiſſet, perinde ac ea, quæ deinceps in *Germania* ſunt geſta, poſtquam RUDOLPHUM regem, non minima principum & militum ſuorum *Saxonicorum* multitudine collecta, paſcha apud *Goslariam* ſolemniter ſatis celebraſſe commemoraſſet, indictumque ab ipſo HENRICO ad captandos *Saxones* apud *Friteslariam* conventum; ac deinceps ita pergit: *Quod quum animo libenti perceptum Saxonum principes, ſuaſu* RUDOLPHI *ad hoc ſolerter incitati, condicto tempore venientes attentare conarentur,* HENRICUS *rex præter ſuos quosdam auricularios ne vel unum ſaltem de regni primatibus illuc dirigebat.* Saxones nihilomi-

lomi-

a) Tandem vero „definitum eſt ab apoſtolico, & cunctis in Chriſto ſecum conſulentibus huiusmodi pro regis HENRICI querimonia prudens & diſcretum ſatis conſilium, quod ipſe Domnus apoſtolicus, ſive pro eo legati ſui idonei in *Teutonicas* partes venirent, & illic in loco, qui aptiſſimus ad hoc fuerit, regni totius primates ſapientes, & quique optimates, præter utrosque reges, ipſi occurrerent, ibidemque habito colloquio tota utriusque illorum cauſa iuſtiſſime, & absque perſonarum acceptione, diſcuſſa & ventilata ab omnibus aut iuſtificaretur, aut improbaretur &c." Quam quidem ſententiam ipſe pontifex palam in ſynodo die ſabbathi denuntiavit, ſicque legatos regios a ſe dimiſit, *ſed tamen absque apoſtolica benedictione*, quam autem RUDOLPHI legato, ſed clam, impertiit, *quia per omnia ipſum obedientiſſimum, & conſentaneum ſibi & apoſtolicæ ſedi minime dubitaverat.* Idem BERNOLDUS in Mſc. *Murenſi.*

lominus ad preces illorum HENRICI aulicorum persiterunt, *& pax ab utrisque ad usque futurum colloquium est dilaudata.* Verum omnia hæc delusit HENRICUS. a)

Duces BERTHOLDUS & WELFO, ut porro noster commemorat, circa Kal. *Augusti* cum *Alemannica* militia regi RUOLPHO de *Saxonia* egredienti occurrere deliberarunt, quod tamen ne fieri posset, interveniens cum maximo exercitu rex HENRICUS impedivit, confisus se tanto exercitu de *Saxonibus* primum, dein de *Alemannis* quoque facillime triumphaturum. *Mox ille,* pergit noster, *huiusmodi consilio cum suis communicato, exploratores quosdam viros non ignobiles, quasi pro pace inter se confirmanda, regi* RUDOLPHO *nec non primatibus Saxonum simulatorie direxit. Qua ad invicem condicta, & solito fœdere ad tempus ab utrisque confirmata, dum ipsi ad dominum suum festinanter redirent, ille eos astute sic delusos derepente, & fere ex improviso vecors & insidiosus armata manu & impetu bellicoso imparatos invasit. Rex autem* RUDOLPHUS *vix cum suis de castris festinantissime se proripiens, & quantum in tali articulo fieri potuit, acies suas contra hostem imminentem prudenter ordinans, & exhortans, ipsi tam fortiter pugnacissimus congreditur, ut in prima statim coitione victoria, Deo dante, feliciter potiretur, prostratis in brevi primis duabus legionibus. Nec mora rex* HENRICUS

a) „Rex autem RUDOLPHUS apud *Goslariam* pentecosten magnifice celebravit, collecta illuc principum *Saxonicorum* & *Thuringorum* non modica multitudine, & ibi cum eis communicato consilio expeditionem contra regem HENRICUM paravit, & dispofuit. Illuc ad eum legati PHILIPPI regis *Galliarum*, & *Flandringorum*, & *Lotharingorum* quam plurium, nec non regis *Ungariorum*, adiutorium ipsi propter Deum & S. PETRUM ad defensionem sanctæ ecclesiæ & regni totius *Teutonicorum* studiosissime promittentium, advenerant; quamvis non ita, ut promissum est, omnino perficerent." Idem ibidem.

RICUS *ipse primicerius cum suis intimis fugam turpiter iniit, reliquus dein exercitus &c.* a)

Post primum nempe prælium HENRICUS recollectis undique copiis expeditionem quasi in *Saxoniam* simulat; audiens autem occursum RUDOLPHI, cum maximo exercitu *Alemanniam* depopulaturus ingreditur. Quam horribilem devastationem quum pluribus descripsisset auctor, tandem ad finem huius anni 1078. synodum magnam *Romæ* celebratam commemorat cum ob plurimas alias ecclesiæ sanctæ necessitates, tum maxime ob tyrannidem HENRICI regis, in qua utriusque regis legati iurato innocentes se de impedito colloquio sunt contestati. b)

BRUNO de *bello Saxonico*, & annalista *Saxo*, iam de primi huius anni synodo sunt indignati GREGORIO, quod iterum in concilio rem inquiri decreverit, qui *omnes*, ut BERTHOLDUS per-

a) Primum hoc fuit prælium RUDOLPHI cum HENRICO commissum apud *Unstrut*, uti BERTOLDUS abbas *Zwifuld.* in libello de *Constructione monasterii huius* apud P. HESS monumentor. *Guelfic.* parte hist. p. 208. commemorat sex omnino, ordine recensens 1. ad *Unstrut.* 2. ad *Strowe.* 3. ad *Elstir.* 4. ad *Hobstetin.* 5. ad *Wurziburg.* 6. ad *Glizze.* Sequitur mox inter eadem monumenta *Guelf.* chronic. *Zwifaltense* in quo p. 218. ad an. 1078. HENRICUS rex *Sueviam* igne & ferro vastasse perhibetur & mox an. 1079. *bellum iuxta fluvium Strowe inter* HENRICUM & RUDOLPHUM VII. Idus *Augusti.* Sed cum idem auctor prælium iuxta fluvium *Elster*, in quo victor occubuit RUDOLPHUS ad an. 1081. reponat, quod apud omnes constat anno 1080. commissum fuisse, nos scriptoris auctoritas non moratur, quo minus prælium hoc ad *Strowe* an. 1078. initum dicamus.

b) „Legato autem regis RUDOLPHI (subdit) ab optimis quibusque optime credebatur, alii vero periurii incriminati sunt. Tandem vero pro invasione regni anathema ab apostolico in regem RUDOLPHUM extorquere attentabant, sed econtra tota synodo vix suffragante, ne id in HENRICUM regem ob inobedientiam & tot sacrilegia, quæ prædicta sunt, mendaciorumque versutissimas illusiones illius iudicialiter retorqueret, ipsi, datis ei ad conversionem & responsionem usque ad proximam synodum vel infra induciis, domum cum dedecore, & absque apostolica benedictione, confusibiles remeabant.“ BERNOLDUS in Msc. *Murensi.*

perhibet, *synodali sententia damnavit, quicumque impedirent, ne colloquium fieret. Quod* RUDOLPHUS *libentissime voluit fieri; HENRICUS autem, utcumque potuit, illud impedire non cessaret. Nam contra apostolicum præceptum, maxima multitudine flagitiosorum adunata, procinctum in Saxoniam paravit, cui rex* RUDOLPHUS *apud Struve cum exercitu obviavit, & illo fugato ipse campum victoriæ VII. idus Augusti* obtinuit. Iuxta Msc. vero *Vindobonense*, cum quo abbas *Urspergensis* ad verbum, ut alias, conspirat, *inito prælio non pauci ex his atque illis prosternuntur, ac incerta fit victoria, utrisque certatim fugientibus ad propria.* Hæc magis conveniunt cum iis, quæ latius de hoc prælio BRUNO & annalista *Saxo* prosequuntur. Ille prælium commissum die XII. *Augusti* commemorat prope *Mellerstadium*, quod oppidum est ad *Strouvam* fluvium in *Franconia*, quo RUDOLPHUS cum *Saxonibus*, sedem ADELBERONI episcopo *Wirceburgensi* asserturus, accurrerat, HENRICO autem interveniente acerrime dimicatum est, aciesque RUDOLPHI protinus disturbata, WEZELINO *Magdeburgensi* episcopo in fuga occiso, SIGEFRIDO autem *Moguntino*, BERNARDO cardinali legato, & ADALBERONE *Wormatiensi* episcopo captis cum HERMANNO comite, cuius nepos *Saxonum* quoque dux MAGNUS ægre effugit hostium manus. Sed OTTO dux & FRIDERICUS comes *Palatii* restituta pugna victoriam e manibus HENRICI eripuerunt: *Moguntinus* quoque & BERNARDUS cardinalis iterum liberati sunt. HENRICUS *Wirceburgum* se recepit, mox *Ratisbonæ* novas copias collegit, ipsi *Saxoniæ* bellum illaturus. Verum ubi *Thuringicum* saltum frustra tentaverat, in *Suevos* flectit, ac hostium agros, præsertim GUELPHI ducis & BERTHOLDI *Zaringiæ* populatur.

Iuxta chronicon Mſc. *Petersbuſanum Saxones* adepta victoria ſuos ſaucios & occiſos levantes conciti abierunt, rex autem HENRICUS, ipſa die ſuperveniente duce *Bohemorum* cum valida manu, poſt fugam ad locum pugnæ rediit, *Saxones* quæſivit, iterumque cum eis confligere voluit: at quum eos minime reperiſſet, abiit, ac circumquaque omnia præda, ferro, & igne de-
a vaſtavit. Chronica econtra *Auguſtenſis* apud FREHERUM a) vult, RUDOLPHUM regem de bello VII. idus *Auguſti* profugum in *Saxoniam* rediiſſe, HENRICUM autem victis *Saxonibus* & trucidatis *Alemanniam* invaſiſſe, vaſtaſſe & incendiſſe. BERTHOLDO vero *Conſtantienſi* teſte, ante hæc *quum Alemanni facto exercitu ad dominum ſuum regem* RUDOLPHUM *properarent, pene duodecim millia coniurati populi, tranſitum Neccari fluvii illis prohibentia, partim occiderunt, plurimos autem miſericordius caſtigando eunuchiaverunt, deinde quamdam munitionem inimicorum facto impetu occupaverunt.* Tum vero RUDOLPHO *in Saxoniam reverſo* HENRICUS derepente recollectis viribus *Alemanniam* præda, ferro, & igne circa feſtum omnium Sanctorum devaſtavit: terram videlicet catholicorum ducum BERTHOLDI atque WELFONIS, & aliorum *S. Petri* fidelium penitus diſſipare aggreſſus eſt. Tunc quoque parum minus, quam centum eccleſiæ in illa expeditione violatæ ſunt. De his eccleſiarum ſpoliationibus ſub HENRICO IV. extat charta in archivio monaſterii *Rhenaugienſis*, data ab eius
b filio HENRICO V. an. 1107. quam hic ſubiungimus. b)

VIII.

a) Script. *Germ.* T. I.

b) „HEINRICUS Dei gratia Rex, *Renaugenſi* advocato ſervientibus ac familie. Quoniam propter diſſenſionem, que temporibus Patris mei facta eſt, multa inordinata iniuſta, & noxia pene ubique perpetrata ſunt; Nos, quia Deo protegente Regnum Patrum noſtrorum cum pace poſſidemus, volumus, ut Eccleſie Dei, que noſtre ditioni ac defenſioni ſubiacent, legitima iura ſua habeant; & que per ſurreptionem utilitati earum contraria fa-

VIII. *Romæ* continuatur conciliationis negotium, ut idem BER- Et anno 1079.
THOLDUS proſequitur, quæ ad finem anni 1078. & initium ſequentis acta ſint *Romæ* cum legatis utriusque regis, iurantibus de non impediendo colloquio pro cauſa regni inſtituendo, de conductu & obedientia dominorum ſuorum. Fuſior HERMANNI *Contracti* continuator, ſcriptor *San-Blaſianus*, in codice *Murenſi* ad initium anni 1079. narrat, regem RUDOLPHUM peracto bello atque adepta victoria, comperiſſe, prædictum ſuum hoſtem cum non modico exercitu denuo contra ſe inſurrecturum: unde cum maximo lectiſſimorum pugnatorum impetu ei accerrime iterum omnino congredi attentarit, illumque perterritum & ſtupefactum a ſe profugaverit. *Quo facto*, ſubdit, *dum nihil aliud hac vice ab eo fieri, niſi militiam ſuam domum a ſe dimiſſuram arbitraretur, ipſe in Saxoniam ſuam cum ſuis glorianter remeavit; ille autem* (HENRICUS) *immaniter efferatus Alemanniam, ut prædictum eſt, eam devaſtaturus ex improviſo invaſerat.*

Produnt hæc recapitulationem quamdam rerum ſuperiore anno geſtarum: poſt quæ primum RUDOLPHUS, ut idem proſequitur, gravi per duos menſes morbo laboravit, demum reconvaleſcens nativitatem Domini glorioſiſſime in loco, quem ſcriptor in vacuo reliquit, celebravit, quod noſtro computo ad præteritum annum pertinet. Mox ante Septuageſimam, anni nem-

cta ſunt, corrigantur. Unde precipimus, ut quidquid in tempore bellorum de monaſterio *Renaugia* nomine beneficiorum diſtractum & ablatum eſt, OTTONI abbati & Fratribus reſtituatur, a diebus ſcilicet GERUNGI abbatis uſque in diem, quo prædictus OTTO abbas ipſum locum ex noſtra conceſſione legitime obtinuit. Hoc etiam precipimus, ne advocatus terminos iuris ſui tranſeat, nec ſecundos advocatos habeat, ſed placitum ſuum ſecundum conſuetudinem antiquam loci teneat. Si quis autem huic precepto noſtro obtemperare neglexerit, ſive liber ſive ſervus, diſtricti iudicii noſtri cenſuram non evadet."

pe 1079. recollectis undecumque militum ſuorum turmis expeditionem in regem HENRICUM acceleravit, quam vero HENRICUS miſſis ad *Saxones* pro pace legatis prævertit. *Quo facto*, pergit, *Saxones in brevi eis, utpote tam dulciſſime blandientibus, nimium creduli facti, expeditionem inceptam imprimis domino ſuo diſſuadebant, dehinc certum diem in proxima quadrageſima ad colloquendum ſibi apud Fritislariam conſtituunt:* ubi quidem eadem ſimultate rem actam narrat ex parte HENRICI; legati vero RUDOLPHI, quamvis fruſtra ſe veniſſe, ſolitisque fallaciis & dolo deluſos eſſe perſenſiſſent, bona tamen patientia ad pacem, concordiam, & apoſtolicæ ſedis obedientiam ſeſe promtiſſimos declarabant. Refert porro chronographus noſter, quod hisce diebus ante quadrageſimam dux WELFO aſſumtis ſecum commilitonibus ſuis cum magnæ virtutis impetu *Rhætiam Curienſem* devaſtaturus invaſerit, comitisque OTTONIS filium cum aliis quibusdam maioribus regi RUDOLPHO ſubegerit. Deinceps geſta in ſynodo *Romana* anno Dom. incarnat. 1079. indict. II. III. id. *Febr.* collecta commemorat, ubi legatus regis RUDOLPHI in prædictas *Alemanniæ* devaſtationes cæterasque tyrannicæ præſumtionis inſanias declamabat, legatus vero HENRICI refutabat. Pontifex autem *publice in ſynodo legationes* HENRICI *regis mendoſas eſſe profeſſus eſt, ſeque eum a regno iudicialiter depoſuiſſe, nec poſtea aliquatenus reſtituiſſe proteſtatus eſt.* Proſequitur alia ultro citroque in cauſa HENRICI & RUDOLPHI agitata in hac ſynodo, V. id. *Martii* abſoluta. Pontifex vero pro cauſa prædicta definienda ſynodum denuo in hebdomada pentecoſtes fieri deſtinavit, ut quidem perhibet, ſed non ſatis convenienter ad ea, quæ de priore ſynodo ex eodem auctore modo retulimus:

miſſis-

missis nempe legatis ad regem HENRICUM *Albanensi* episcopo PETRO *Damiani*, & UDALRICO *Paduano* episcopo *cum aliis suis fidelibus, quid ipse in synodo super eo statueret, per ordinem illi demandavit, & ut certum tempus & locum colloquii ad arbitrium suum & otium cum legatis prædictis in brevi determinaret, ipsi tractandum concessit, & ut obedientiam, quam ei multoties Roma probandam verbis demandavit, nunc re ipsa veram experiretur, ab eo exigebat.*

Sequuntur post hæc in Quadragesima gesta; HENRICUS *Ratisbonæ* in paschate ducatum *Alemanniæ* comiti FRIDERICO, de *Hohenstaufen* scilicet, commendavit *in erroris irritamentum*, ut loquitur noster, quem prius iam parvulo adhuc RUDOLPHI filio contulerat. Hunc, ut chronographus post relatam ADELHEIDIS uxoris RUDOLPHI mortem, celebremque eius in monasterio *S. Blasii* sepulturam, atque celebratum magnifice apud *Goslariam* pascha, narrat, expeditione in HENRICUM ibi disposita, *dux* WELFO *cum nonnullis senioribus, qui ad eum pertinebant, assumtum Ulmam perduxerunt, eique se cum civibus iure solito subdiderunt, communique suffragio & laudamento dominum sibi & ducem nunc denuo confirmaverunt.* Illis autem inde domum digressis prosequitur, FRIDERICUM collectis undique ex parte regis sui *Austrifrancis*, *Rhætis*, *Vindelicis*, *Pagoariis*, & quibuscumque poterat militaribus copiis, *Ulmam* concessisse, mox iterum a WELFONE expulsum.

Commemoratis deinde BERTHOLDI marchionis, BERTHOLDI ducis *Zaringensis* filii, cum AGNETE RUDOLPHI regis filia nuptiis in paschalibus hisce diebus, ea dein persequitur, quæ

pertinent ad colloquium *Fritislariam* condictum, quod S. PETRUS *Damiani* legatus apostolicus studiose urgebat, missis ad HENRICUM *Ratisbonam*, & in *Saxoniam* ad RUDOLPHUM cæterosque *Saxonum* principes nuntiis, nec non ad ducem WELFONEM, & *Alemannorum* meliores & maiores: quod tamen infeliciter, ut omnia alia conciliationis consilia, cessit. HENRICO autem ad arma contra *Saxones* processuro, RUDOLPHUS quidem cum exercitu occurrens, intercessit tamen missis ad optimates hostilis exercitus nuntiis, *quatenus colloquium, quod papa iam pro pace & unitate ecclesiæ ac totius regni concordia componenda decreverat, & ipsi cum domino suo observarent, sibique locum eiusdem observandi fide paceque non ficta concederent.* His equidem persuasi quidam ex parte HENRICI apud eumdem pro deponendis armis instabant: idque cum legatis apostolicis ibi actitabatur, ut sub anathemate caveretur, ne in se alterutrum bello consurgerent, sed potius pace ad invicem confœderati pro instanti causa colloquium componere tentarent. At vero dum frustra essent omnia, tandem legati apostolici reditum cogitant: & quidem *Paduanus* episcopus ab HENRICO pecunia corruptus optima quæque de eo denuntiasse dicitur, sed præventus a fratre quodam, quem RUDOLPHUS *Romam* miserat, a quo uti & ab altero legato, PETRO scilicet *Damiani*, pontifex rei veritatem edoctus est.

Multa, quæ huc attinent, apud ipsum BRUNONEM de bello *Saxonico*, & annalistam *Saxonem*, allatis etiam mutuis epistolis
a & decretis, leguntur a). Sicque totus ille annus consumtus dicitur, ut fere nihil memorabile in nostris partibus, atque omissis interim præliis, ut habet annalista, legationibus tantum res pera-

a) pag. 544

peragcretur. Ad finem tantum memorat a) RUDOLPHI expeditionem ſuper *Weſtphalos*, qui muneribus datis pacem cum eo fecerunt; expeditionem item eiusdem in *Haſſiam;* HENRICI autem expeditionem in *Sueviam* contra fautores RUDOLPHI. Hæc is omnia ad finem anni 1079. ſine fixa epocha reiicit, quam credibile eſt ad annum ſequentem excurrere, uti ea, quæ de omiſſis interim præliis dixerat. a

Edimus in appendice diploma nobiscum ex archivio *Bernenſi* communicatum, *Spiræ* datum, ut præfert, *anno Domini MLXX. Indictione II. anno autem ordinationis Domini* HENRICI IV. *regis invictiſſimi XXV. regni XXIII.* Indictio autem II. quæ notatur, annus item ordinationis HENRICI vigeſimus quintus & regni vigeſimus tertius anno Chriſti 1079. congruunt. Patre enim vivente ordinatus eſt rex puer quinquennis anno Chriſti 1054. ut docet SIGEBERTUS; & patri defuncto ſucceſſit anno 1056. Neque vero RUDOLPHUS anno 1070. dici potuit *ob multas in nos regnumque nefandas præſumtiones omni divina & humana lege tam vitæ quam rerum proſcriptus & damnatus.* Notatur porro adhuc annis 1073. & 1074. apud BESELIUM b) ADALBERTUS cancellarius, & demum annis 1077. & 1078. GEBEHARDUS, qui idem hic GERHARDUS cancellarius inſcribitur. Superius iam obſervavimus, in genuinis etiam diplomatibus ſubin eiusmodi anachroniſmos notari, quin tamen propterea eorum fides labefactetur. b

IX. Annus 1080. RUDOLPHO noſtro fauſtus oriri viſus eſt; quum enim poſt epiphaniam in *Saxoniam* veniret HENRICUS, ſexto Kal. *Febr.* prælium commiſſum eſt. Duplex erat *Saxonum* acies;

An. 1080. RUDOLPHUS victor prælio occubuit.

a) pag. 552. b) Chron. *Gottwic.* T. I. p. 300.

acies; alterum RUDOLPHUS ducebat, alterum OTTONI *Nordheimio* commiserat. Illum quidem primum oppugnandum sibi deligens HENRICUS fundit fugatque; sed rursum a superveniente OTTONE referre pedem & ipse coactus, per vicinos saltus in *Franconiam* suam recessit. Reliquias exercitus, quum haud procul *Wartburgo*, aliis *Wartberg*, consedissent, *Saxones*, qui in præsidio arcis erant, eruptione facta dissiparunt. Chronica regia
a *S. Pantaleonis* apud ECCARDUM a) prælium inter HENRICUM & RUDOLPHUM factum memorat in loco, qui dicitur *Fladeheim*, hieme nimis aspera, ubi in primo congressu *Saxones* terga verterint. Additur in Msc. *Vindob.* & in chronico abb. *Urspergensis*, ibi ducem *Bohemiæ* FRATISLAUM regalem lanceam RUDOLPHI esse adeptum; quæ exin permissione regis HENRICI semper quemvis gentis illius ducatu insignem in omni festiva occasione præcedat. *At vero rex*, pergit chronicon, HENRICUS *propriis castris redditus, de armigeris, quos reliquerat, pene nullum invenit. Una quippe ex legionibus Saxonum in primo congressu pugnam deserens, quia obscurus erat aër, furtim regis castra invaserat, multosque pueros comprehendens strangulabat eos, multaque abradens spolia fugam iniit. Rex autem dimisso exercitu in orientalem Franciam divertit.* Verba hæc ancipitem belli aleam, exitumque prælii neutri proficuum indicant: *alterutris regibus*,
b ut loquitur WALTRAMUS b), *parum prospere processit, quorum unus victoria, alter Saxonia caruit.*

c BRUNO de *Bello Saxonico* c) victoriam illam, ac recte quidem, feria secunda reportatam notat. Subdit quoque GREGORII VII. P. epistolas tunc ad *Saxones*, binasque ad RUDOLPHUM datas de negotio cum HENRICO, quod in favorem RUDOLPHI

a) T. I. p. 907. b) pag. 284. c) pag. 225.

Romæ

Romæ in ſynodo menſe *Martio* ceſſit. Ut vero vicem redderet HENRICUS, in conventu *Brixienſi* in locum GREGORII ab ipſo exauctorati GUIBERTUM *Ravennatenſem* antipapam ſubſtituit, electione illa dein conventu ad *Moguntiam* habito, a quibuscumque potuit, confirmata. Somniat igitur chronicæ *Auguſtenſis* auctor, dum ad hunc annum refert, RUDOLPHUM & WELFONEM duces cum omnibus ſequacibus ſuis fuiſſe excommunicatos. Tum addit: Rex HENRICUS *denuo Saxoniam invadens vaſtat & incendit. Idem* RUDOLPHUS *auctor ſeditionis ſine damno exercitus occiditur, utraque pars exercitus nutu Dei dirimitur.* Sic iſte præciſe, perinde ac BERTHOLDUS noſter, *Iam autem*, ait, *mediante Octobri*, HENRICUS *expeditionem in Saxoniam iterum parans, a militibus* RUDOLPHI *itinere unius diei fugatur: quamvis in eadem congreſſione* RUDOLPHUS *rex piæ memoriæ occubuerit.* Magno conſenſu ſcriptores omnes prælium ad *Ellſtram* ſeu *Elyſtrum* fluvium fuiſſe factum aſſerunt BONIZO perinde ac BERTHOLDUS partibus RUDOLPHI addictus, *In quo*, inquit, *prælio victor* RUDOLPHUS *occubuit.* a) a

ALBE-

a) Rem ab ovo repetens ſic enarrat anonymus in Mſc. chronico *Petersbuſano de bello apud Elſtere.* „Interim rex RUDOLPHUS congregato exercitu *Boëmiam* voluit intrare, eamque devaſtare: ſed dux *Boëmiorum* cum *Sclavis*, ſibi adiunctis etiam aliis complicibus regis HENRICI occurrit ei in flumine, quod vocatur *Elſtere*, ibique facta pugna valida multi ex utraque parte ceciderunt. Ipſe autem rex RUDOLPHUS in flumine lancea vulneratus de equo in aquam cecidit, ſed a ſuis ſublevatos & in campum delatus, ſupervenientibus epiſcopis pœnitentiam & viaticum accepit. Quum autem iam eſſet in morte, caput, ſicut fertur, elevavit, & ait: *quis*, inquiens, *habet victoriam?* at quum circumſtantes dicerent, *vos Domine*, caput reclinavit & ait: *iam*, inquit, *de mea morte non curo, ſi eam excipio triumphi honore.* Ita eadem die rex RUDOLPHUS finivit vitam apud *Elſtere*, atque a ſuis *Merſiburch* delatus, ibique honorifice ſepultus eſt in ipſo choro baſilicæ, & imago ipſius ex ære fuſa atque deaurata ſuper tumulum

ALBERICO teſte GOTFRIDUS inferioris *Lotharingiæ* dux RUDOLPHUM, quem unum ante omnes in acie requirebat, conſpicatus, directa in illum haſta ferali vulnere ictum deiecit ab e-
a quo. Hæc ille in chronico a) ad annum 1099. quo idem *Godefridus* BULLIONIUS *Cruciatorum* dux *Ieroſolymam* tam glorioſe expugnavit. Erat præter hunc præterque archiepiſcopos *Colonienſem* & *Trevirenſem*, nec non alios epiſcopos quatuordecim, FRIDERICUS *Sueviæ* dux, HENRICUS comes *Palatinus Rheni* &
b RAPOTHO *Palatinus* per *Bavariam* comes, de quibus BRUNO b), *quidquid*, inquit, *epiſcopi Colonienſis fuit*, *quidquid Trevirenſis*, *& alii fere quatuordecim attulerant*, *quidquid dux* FRIDERICUS, *comes* HEINRICUS, *cæterique ditiſſimi homines ſecum portaverant*, *quidquid in Erphesfort rapuerant*, *omnia illa noſtri ſimul diripientes ad caſtra ſua venerunt triumphantes.* Comes HENRICUS idem eſt, quem paullo ante HEINRICUM *de Lacha* nominaverat, ſcilicet HENRICUS *de Lacu*, comes *Palatinus Rheni*, quo titulo ipſe in diplomate apud TOLNERUM utitur.

Laudatus porro BRUNO *de bello Saxonico* apud ECCARDUM conſpirante, ut alias, annaliſta *Saxone* refert, *Saxones* victores ad caſtra ſua reverſos magnam gaudii ſui partem imminutam repeřiſſe, eo quod rex eorum RUDOLPHUS duobus acceptis vulneribus, uno lethali, deformi altero, populi potius quam ſuum caſum doleret. Ut vero cognovit rex, penes populum ſuum ſtare victoriam „Nunc (ait) lætus patiar vivus & moriens, quid„quid voluerit Dominus. Quamvis autem (pergit BRUNO) dex-
„tera

eius tranſpoſita eſt. In hoc bello victoria dubia fuit, quoniam ex utraque parte fugerunt: attamen *Sclavi* regionem ſuam ab invaſione *Saxonum* defenſarunt. Actum *an. dnæ Incar. MLXXX. idibus Octobris.*"

a) P. II. p. 182.

b) pag. 227.

„ tera manus illi fuiſſet amputata, & grave vulnus haberet ven-
„ ter, ubi deſcendit ad ilia, tamen, ut illos, quos de ſua morte
„ videbat dolentes, conſolaretur, ſe non in præſenti moriturum
„ fidenter pollicetur, ſuique poſtponens curam, ſuis vulneratis
„ oſtendebat, quam deceret adhiberi medicinam. Qua fortitudi-
„ ne ſimul & pietate noſtri principes valde commoti, concordi-
„ ter ei omnes ſpoponderunt, ut ſi Deus omnipotens illius vitam
„ ſervare vellet, eo vivo, etiamſi utraque manu careret, *Saxo-*
„ *nia* nullum alium rectorem eligeret. Qua fide multum ille læ-
„ tatus felici eſt reſolutus fine." Hæc BRUNO cum annaliſta *Sa-
xone*.

Pars HENRICO addicta amputatam RUDOLPHI dexteram in argumentum ſumebant vindicis numinis ob violatam HENRICO datam fidem ac iuramenti religionem. „Abſciſſa RUDOLPHI
„ dextera (inquit anonymus ſcriptor vitæ HENRICI apud REU-
„ BERUM, a) digniſſimam periurii vindictam demonſtravit, qui a
„ fidem domino ſuo regi iuratam violare non timuit: & tam-
„ quam alia vulnera non ſufficerent ad mortem, acceſſit etiam
„ huius membri pœna, ut per pœnam agnoſceretur & culpa."
Conferatur quoque hac de re HERMOLDI chronicon *Sclavorum* cap. 29. Circumferuntur verba RUDOLPHI, quæ ipſe, hunc reatum ſuum agnoſcens, in extremis poſitus protulerit; quæ quidem hic adponimus, prout in Mſc. *Vindobonenſi* leguntur æque ac in chronica *S. Pantaleonis*, & apud CONRADUM *Urſpergenſem*; nam apud alios ſubinde variant ſcriptores, quos plures citat *Io.Petr.* a LUDEWIG in præfatione ad *Reliquias Manuſcriptorum* b). Sic vero in citato Mſc. notatur: „ Fertur tamen b

a) Script. *Germ.* p. 261. b) T. IV. p. 53.

„in extremis positus RUDOLPHUS, & abscissam dexteram intuitus, ad episcopos, qui forte aderant, graviter suspirans dixisse: ecce hæc est manus, qua domino meo HENRICO fidem sacramento firmavi. Ecce ego iam eius regnum, & vitam derelinquo præsentem. Videte, qui me solium eius conscendere fecistis, ut recta via me, vestra monita sequentem, duxissetis.“

Fallente in RUDOLPHO præsagio.

X. Pontifex anno illo rem præsagiisse visus est: *Anno prænotato*, sunt verba TRITHEMII in chronico *Hirsaug.* ad hunc annum, GREGORIUS *papa quasi divinitus sibi revelatum prædixit, hoc anno falsum regem moriturum: & verum quidem dixit, sed fefellit eum de falso rege coniecturæ opinio, quia* HENRICUM *falsum regem existimabat, & ob id eodem anno fore moriturum: quia* RUDOLPHUM *iudicabat verum regem, in interpretatione erravit.* Verba hæc, sententia paullulum mitigata, ex SIGEBERTO *Gemblacensi,* partibus HENRICI admodum addicto desumta sunt,
a qui a) coniecturam illam a papa *secundum suum velle super* HENRICO *rege* interpretatam scribit. *Rex enim* HENRICUS (addit) *Saxonibus gravi prælio congreditur, & in congressu falsus rex* RUDOLPHUS *cum multis Saxoniæ principibus extinguitur.*

Quod tempore GREGORII VII. P. rumor is passim fuerit perlatus, discimus ex BONIZONIS, *Sutriensis* primum dein *Placentini* episcopi, libro ad amicum de persecutione ecclesiæ apud
b OEFELIUM b). Hic inter alia sanctissimo pontifici obiecta etiam hoc discutit; unde simul propiores palam pronuntiatæ sententiæ circumstantias habemus. „Sunt & alii (inquit) qui dicunt, venerabilem GREGORIUM papam legaliter (locutum) fuisse, sed contra seipsum sententiam damnationis dictasse. Nam in secun-

„da

a) PISTOR. Script. *Germ.* T. I. p. 843. b) Script. Rer. *Boic.* T. II. p. 819.

„da feria poſt paſcha apud ſanctum *Petrum*, quum regem excommunicaſſet, adiecit: omnibus vobis notum ſit, quodſi uſque ad feſtivitatem *S. Petri* HENRICUS non reſipuerit, mortuus erit aut depoſitus; quodſi hoc non fuerit, mihi credi amplius non oportet.“ BONIZO, ut rem expediat etiam quoad mortem, triplicem eius notionem explicando ſeſe torquet: quandoquidem ſimpliciter verba iuxta SIGEBERTUM & TRITHEMIUM accipiendo, nulla aut ſancto pontifici aut ſedi eius apoſtolicæ fit iniuria, ex illorum quoque ſententia, qui *Romano* pontifici ex cathedra loquenti inerrantiam adſcribunt, non utique in eiusmodi factis, qualia GREGORIUS VII. poteſtatem clavium nimium ampliando, ut infra videbimus, in HENRICUM attentavit, præſertim in eius depoſitione per ſynodalem ſententiam tunc *Romæ* facta. Ad cuius nimirum ſententiæ promulgationem ſe iuſtitiæ zelo impulſum, & non aliqua iniuriæ commotione concitatum fuiſſe, a nemine ſanæ mentis homine in dubium vocari poſſe exiſtimavit, uti ad epiſcopum *Tridentinum* tunc ſcripſit, ad hoc ipſum argumentum, de quo nunc res eſt, haud obſcure intendens, ut legere eſt in codice UDALRICI *Babenbergenſis* ab ECCARDO a) edito epiſt. CLII. „Quod tamen (inquit papa) ſi in dubium cuiquam deveniret, conſtat eius rei rationes prius a nobis fore ſcrutandas, quam in illum (HENRICUM) præiudicium factum temere eſſe credendum. Verum utcumque opinio ſeſe habeat, factumque interpretetur, illud procul dubio de divina clementia ſperantes promittimus, feſtum beati *Petri* non prius tranſeundum, quam in cunctorum notitia certiſſime clareat, illum iuſtiſſime eſſe excommunicatum.“ a

a) Corp. hiſt. medii ævi. T. II. p. 155.

RUDOLPHI obitus & ſepultura.

XI. Prælium vero, quo inferior quidem diſceſſit HENRICUS,
occubuit nihilominus RUDOLPHUS, medio demum, ut vidimus,
id eſt, idibus *Octobris* accidit, ut recte BRUNO a) notavit, feria
a V. Ad quem diem in necrologio BERNOLDI ſeu BERTHOLDI
noſtri, presbyteri *S. Blaſii* diœceſis *Conſtantienſis* apud OEFE-
b LIUM b) legitur: RUDOLPHUS *rex S. Petri miles migravit ad
Dominum.* In noſtro autem monaſterii *S. Blaſii* necrologio coæ-
va manu ſcripto ad diem ſequentem XVII. Kal. *Novembris*, qua
obiit altera poſt prælium die, collocatur, & in margine additur:
*de iſtius anniverſario fiat maior commemoratio, & ſigna pulſen-
tur ad tres pſalmos.*

c In chronico epiſcoporum *Merſeburgenſium* c) apud LUDEWIG
d d) notatur *convivium cum præbenda privata decem & octo ſolidis
præparatum ... tertium in anniverſario regis* RUDOLPHI. Nul-
lus vero dies deſignatur, quem BERTHOLDUS in chronico apud
URSTISIUM, conformiter ſuo necrologio apud OEFELIUM, col-
locat ad idus *Octobris*, etſi eum altero poſt prælium die obiiſſe
dicat; alii diem non addunt. RUDOLPHUS itaque ſaucius a ſuis
in civitatem *Merſeburg* delatus, & in brevi deficiens, in medio
chori ibidem honorifice ſepultus dicitur in chronico *Halberſta-
e dienſi* apud LEIBNITIUM e). Sic iuxta chronicon *Engelhuſii* apud
f eumdem f) *Merſeburg* delatus, *in brevi deficiens ibidem cum ho-
nore ſepultus eſt*; quibus verbis utuntur etiam, quos alios citat
g laudatus LUDEWIGIUS g). Omnia vero BERTHOLDUS ſeu BER-
NOLDUS noſter in ſuo chronico complexus eſt pro ingenti exi-
ſtima-

a) Loc. cit. pag. 228.
b) Script. rer. *Boic.* T. I. p. 653.
c) Lib. VII. c. 11.
d) T. IV. Reliq. Mſſ. p. 377.
e) T. II. Script. rer. *Brunſvic.* p. 128.
f) pag. 1088.
g) Præf. T. IV. Reliq. Mſſ. p. 53.

ſtimatione, qua apud eum valebat RUDOLPHUS, idque iisdem omnino verbis apud URSTISIUM a), quæ in Mſc. *Murenſi* ſæpe citato ſequentia leguntur: „Ille alter *Macchabæus*, quum inter pri-„mos hoſtium inſtaret, in ſervitio ſancti *Petri* occumbere pro-„meruit: & poſtea uno die ſuperſtes, omnibus ſuis rite ordina-„tis, ad Dominum migraſſe non dubitatur idibus *Octobris*. Reg-„navit autem tres annos & dimidium. De cuius obitu omnes „religioſi utriusque ſexus, & maxime pauperes, doluerunt. In „cuius animæ commendationem *Saxones* innumerabiles eleemo-„ſynas fecerunt. Erat enim procul dubio pater patriæ, ſervan-„tiſſimus iuſtitiæ, indefeſſus propugnator ſanctæ eccleſiæ. Sepul-„tus eſt autem apud *Merſeburg* glorioſiſſime.“

HENRICUS IV. aliquod poſt annis ad *Merſeburg* divertens, non eſt auſus violare religionem ſepulcri. „Fertur de impera-„tore (ut OTTO *Friſingenſis* de geſtis FRIDERICI I. c. 7. narrat) „quod, quum pacatis pauliſper his ſeditionum motibus ad præ-„dictam eccleſiam *Merſeburg* veniſſet, ibique præfatum RUDOL-„PHUM velut regem humatum vidiſſet, cuidam dicenti, cur „eum, qui rex non fuerat, velut regali honore ſepultum iace-„re permitteret? dixiſſe: utinam omnes inimici mei tam ho-„norifice iacerent.“ Eadem habet TRITHEMIUS in chronico *Hirſaugienſi* ad an. 1080. *Io. Sam.* STRAUSSIUS diaconus *Merſeburgenſis*, in poſitionibus hiſtoricis de RUDOLPHO *Suevico* anticæſare an. 1745. locupletius editis, non ſolum eius ſepulcrum, ut olim extabat, cum exuviis quæ ſuperſunt, deſcribit, verum etiam æri inciſis tabulis exhibet, adiecta adumbratione ſacelli ſubterranei, cui ſuperpoſita eſt manus dextera, prout extenſis tribus digitis ad iuramenti præſtationem conformari ſolet. Tum etiam

a) Script. *Germ.* p. 350.

etiam repræſentat manum dexteram in prælio amputatam, prout in ſacrario templi in hunc uſque diem ſervatur ita exſiccata, ut putredinem non contrahat. Sequitur ibidem, quod in medio templi choro eminet, cenotaphium, ſepulcro ſubterraneo incumbens cum expreſſa ad vivum RUDOLPHI effigie, adſcriptis in margine tribus dyſtichis ſequentibus:

Rex hoc RUDOLPHUS, *patria pro lege peremtus,*
Plorandus merito, conditur in tumulo.
Quo vicere ſui, ruit hic ſacra victima belli,
Mors ſibi vita fuit, Eccleſiæ cecidit.
Rex illi ſimilis, ſi regnet tempore pacis,
Conſilio, gladio, non fuit a CAROLO.

Encomium.

XII. Virtutem RUDOLPHI etiam in hoſte laudarunt, qui tunc partes HENRICI omnibus modis ſunt tuiti. Hos inter
a WALTRAMUS epiſcopus *Numburgenſis* a) in apologia pro HENRICO IV. de morte RUDOLPHI L. II. locutus: *ſic ille provectæ ætatis vir amiſit vitam cum regno Saxoniæ, cuius præcipue opera ante aliquot annos victi ſunt Saxones.* Etſi vero ob defectionem falſamque iuratam fidem inceſſeretur ab HENRICI fautoribus, hincque etiam virum deſertorem, & hominem proditorem vocet
b THEODERICUS *Virdunenſis* in epiſtola ad GREGORIUM VII. b), atque periuria & homicidia obiiciat; nemo tamen unus præter *Virdunenſem* tres uxores eius, quas aperte ſolemni nuptiarum apparatu duxit, eodem tempore ſimul viventes novit & nominat. Quod certe vel ipſe papa zeloſiſſimus GREGORIUS VII. non diſſimulaſſet, nec illi ſcriptores, qui res illorum temporum poſteritati commendaverunt, quique aliorum vitiorum reum fece-

a) FREHER. Script. *Germ.* T. I. p. 284. b) MARTEN. Theſ. anecd. T. I. p. 225.

fecerunt RUDOLPHUM, uti inter alios anonymus apud URSTISIUM & REUBERUM a) in hiſtoria vitæ HENRICI IV. c. 4. tragice exclamans: *o! avaritiam, peſtem peſſimam, quæ bonos mores tranſvertit, & ſæpe ipſas virtutes ad vitia trahit. Iſte* RUDOLPHUS *dux eximius; vir magnæ auctoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique ſpectatus in omni genere virtutum: iſte, inquam, avaritia, quæ vincit omnia, victus, & ſupplantator domini ſui factus, fidem incerto poſtpoſuit honori.* Locus hic fuiſſet ambitionem ſugillandi, ſiquidem notari potuiſſet in RUDOLPHO, qui regnum non modo non ambivit, ſed & toties oblatum ſceptrum recuſavit, ac iamiam electus, adhuc tamen tergiverſatus vel unum diem maturioris deliberationis a principibus, fruſtra quidem omnino, imploravit. RUDOLPHUM ægre tandem conſenſiſſe, quum iuratam fidem regi HENRICO datam obtenderet, plures hiſtorici produnt apud LUDEWIGIUM b): ipſe vero RUDOLPHUS poſt ſui electionem feſtinanter ad *Romanum* pontificem miſſo nuntio indicavit, ſe coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe, ut concilium *Wirzburgenſe* an. 1080. ac ipſe GREGORIUS in formula excommunicationis eodem anno in HENRICUM vibratæ atteſtantur c).

Superius iam memoravimus, RUDOLPHUM adhuc ducem ſemper GREGORIO fuiſſe acceptum ac commendatum, qui ſtatim ſuſcepti pontificatus initio præcipuam in RUDOLPHO ſpem collocarat in maximo tunc utriusque reipublicæ periculo ex colliſione ſacerdotii & imperii: quo ipſa eccleſiæ unio in diſcrimen veniebat æque ac communio maxime neceſſaria inter ſummos eccle-

a) Script. Rer. *Germ.* p. 383. p. 261.
b) Præf. Reliq. MſſT. T. IV. p. 53.
c) Concil. *Labb.* T. X. p. 383. & 385.

ecclesiæ principes pontificem & episcopos, qui tunc in factiones erant distracti, studioque partium inter se scissi ac dissidentes. Quare etiam credebatur, ut habet vitæ S. ANSELMI episcopi
a *Lucensis* scriptor a), electus *in partibus Teutonicis dux* RUDOLPHUS *in regem, ad defendendam catholicæ ecclesiæ unitatem.* Habebatur RUDOLPHUS *vir bonus & amator pacis*, ut apud ALBERTUM abbatem *Stadensem* ad annum 1069. non semel testimonium accipit, dum nempe HENRICO *Saxones* reconciliare omni studio adlaboravit, mente idcirco consternatus, quod se spe sua frustratum atque incassum contendisse cerneret. Apud eumdem quoque postea legitur ad an. 1076. percontanti apostolico GREGORIO VII. P. quisnam culmine imperii dignus esset, designatum esse ducem *Suevorum* RUDOLPHUM, *quod scilicet fuerit vir bonus & amator pacis, & circa cultum sacerdotii & ecclesiarum optime affectus.* Verum iniuria ac perversitate temporum frustra tunc erant insignes hæ rebusque maxime tunc accommodatæ animi dotes; neque etiam aliis, quæ opportunæ ac necessariæ erant, eiusdem dotibus eventus respondit apud RUDOLPHUM, *virum in rebus bellicis* (quod citatus eidem ad-
b versarius vitæ HENRICI auctor, dilaudat, b) *exercitatum & strenuum:* satisque sese probavit RUDOLPHUS ipsi HENRICO in rebus etiam difficillimis, priusquam rex contra ipsum eligeretur. Quod quidem in eo omnes tunc suspexerunt cumprimis, qui eum in cæsarem elegerunt principes, *& sibi ducem* RUDOLPHUM
c *regem constituerunt*, ut cum BONIZONE c) loquar, *virum magni consilii, & armis strenuissimum. Quod factum magnam cladem intulit Romano orbi.* Res nempe fuerat RUDOLPHO cum æmu-

a) GRETS. Opp. T. VI. p. 472.
b) REUBER. Script. *Germ.* p. 261.
c) OEFEL. Script. rer. *Boic.* T. II. p. 816.

æmulo ſuo HENRICO, qui nulli quidquam animi viribus ac robore concedebat, ab ipſo BONIZONE mox citato *de perſecutione eccleſiæ*, ubi HENRICUM eiusque ſequaces impetit, vocatus homo *magni conſilii & mirabiliter ſagax.* Quæ aliave naturæ ornamenta quum maxime in bellicis rebus, quibus vitam traducebat, excoluiſſet, victus tamen a RUDOLPHO nonniſi hoſtis ſui in acie ſuccumbentis interitu ſuperior evaſit, dum *acerrimo bello commiſſo*, utor iterum BONIZONIS verbis a), HENRICUS a
turpiter terga vertit, in quo prælio victor RUDOLPHUS *occubuit. Nec ſicut ſolent mori ignavi, mortuus eſt* RUDOLPHUS, *non fugiens vel latibula quærens occiſus, ſed ſuper ſtrages inimicorum & ſuper cadavera mortuorum a ſuis eſt inventus.*

Mirum vero haud eſt, HENRICUM, relato poſt mortem RUDOLPHI imperio, eidem RUDOLPHO detraxiſſe; quo etiam tempore iis præſertim, qui HENRICI regis partibus conſtanter adhæſerunt, liberum iam fuit, animi ſui ſenſa audacius contra ipſum depromere; quos inter nunc ſuccurrit BURCHARDUS *Baſileenſis* epiſcopus, quem in *hiſtoria Nigræ ſilvæ* b) ex BER- b
NOLDO in ſæpe citato codice *Murenſi* inter præcipuos RUDOLPHI adverſarios numeravimus. Argumentum ad rem præbet notitia inſtitutionis monaſterii *S. Albani* apud *Baſileam*, proximam oppido *Rhenofeldenſi* urbem, ſicque RUDOLPHO cumprimis obnoxiam: unde hic excerpta damus, ſimulque exinde mala coniici poſſunt, ex ſchiſmate illo reipublicæ illata. Sic vero habet charta: c) c

a) Ibid. pag. 817. &c.
b) T. I. p. 222.
c) „Suorum prædeceſſorum negligentiam Præſul BURCHARDUS in rebus tam divinis quam ſecularibus diligens & induſtrius, ex quo huius regiminis baculum ſuſcepit, inhærenti ſtudio ſemper ardebat corrigere. Verum a ſuæ voluntatis



CAPUT III.

FAMILIA COMITUM DE RHINFELDEN APUD D. BLASII SEPULTA.

§. I.

Comitum de *Rhinfelden* apud veteres genealogos memoria.

Qui illustrissimarum hodie etiamnum familiarum natales scripto nobis reliquerunt, nobilissimam simul comitum de *Rhinfelden* prosapiam aliquando indicare ac demonstrare conantur. Hos inter numerandus venit genealogus *Murensis* celebratissimus, qui præmittitur actis fundationis eiusdem *Murensis* monasterii. Quorum quidem actorum scriptorem P. *Rustenus* HEER eumdem putat esse, qui fuit auctor chronici *Burglensis* a se editi, CUNONEM scilicet seu CONRADUM de *S. Blasio*

efficacia intestinis seditionibus multo tempore fuit retractus, quas dux RUDOLPHUS in dominum suum concitavit, imperatorem videlicet HENRICUM. Igitur in his bellicis persecutionibus quam fideliter partem domini sui imperatoris defendit, & quam strenue hostium suorum perfidiam impugnavit constanter, brevitate non est facile comprehendere. Verum munitiones & castella, quæ ipse partim construxit, partim iam constructa probitate & industria beatæ MARIÆ adquisivit, & murorum compagines, quibus a nocturnis incursionibus hanc civitatem munivit, me tacente, quis in bellicis negotiis fuerit, satis poterunt comprobare.

Itaque postquam divina clementia genus humanum ab hac eruit pestilentia, & ecclesia iam multo tempore exorbitata ad statum pristinum palpitando cœpit redire, præfatus pontifex a seculari negotio ad otium sanctissimum animum cœpit flectere, & quia prius ob regni præsentis defensionem terreno imperatori, postmodum ob regni cœlestis adeptionem suo omniumque cœpit servire Creatori. Igitur pro suarum negligentiarum correctione, proque omnium fidelium tam vivorum quam corporis vinculis solutorum redemtione, anno dominicæ incarnationis MLXXXIII. hoc cœnobium in honore sancti Salvatoris & beatæ Dei genitricis semperque virginis MARIÆ, sanctique ALBANI martyris instituit, & ut divinum die nocteque inibi redundaret servitium &c." In fine chartæ notatur Indictio XI. Luna I. regnante imperatore *Romanorum* HEINRICO IV. & filio eius rege HEINRICO V. quæ notæ congruunt cum anno 1103.

Blaſio ad *Murenſe* aſceterium anno 1145. evocatum abbatem. Eum certe ante extinctionem comitum de *Lenzburg* an. 1173. factam vixiſſe, hæc eorumdem actorum verba produnt: *prædium* RUDOLPHI *miniſtri comitum de Lenzburg nobis auferunt;* ut iam eſt ab illuſtri Barone de ZURLAUBEN obſervatum.

Etſi vero circa ætatem fere conveniant *Murenſes* ſodales, ſunt tamen aliqua, ut in huiusmodi libris fieri ſolet, actis illis poſtea adiecta ab iis, a quibus res monaſterii fuit aucta, videlicet quæ de ANSELMO abbate diu poſt RONZELINUM monaſterio præſidente ſubin referuntur. Celeberrimus vero ac fideliſſimus ab ipſo P. HERRGOTT, qui ei minus in genealogia *Habsburgica* detuliſſe viſus eſt, alibi, in ſuo Mſc. de originibus *San-Blaſianis*, poſt ECCARDUM vocatur actorum *Murenſium* auctor, perinde ac præmiſſus eidem genealogus, quorum uterque hoc & præcedente iam ſeculo doctorum virorum ingenia admodum exercuit.

Sic vero ille apud P. HERRGOTT, & illuſtriſs. *Fridolinum* KOPP in appendice vindiciarum actorum *Murenſium* ſeriem fundatorum principalis monaſterii *Murenſis* auſpicatur: *Iſta eſt genealogia noſtrorum principum*, THEODRICUS *dux Lotharingorum*, & CHOUNO *comes de Rinfelden fratres fuerunt; horum ſoror fuit* ITA *comitiſſa de Habspurg, reparatrix huius Murenſis cœnobii.* Et mox: CHOUNO *comes de Rinfelden genuit* RUDOLFUM *regem: & ille genuit* AGNETEM *matrem* CUONRADI *ducis.* Hisce CONRADUM ducem de *Zaringen* indigitat, concordatque cum monacho Weingartenſi *de Guelfis principibus* apud LEIBNITIUM a), ubi agens de RUDOLPHO *Guelfo*, ITÆ CUNONIS comitis de *Oeningen* filiæ nupto, *habuit quoque*, inquit, *idem* Co- a

a) Scriptor. Rer. *Brunſvic.* T. I. p. 783.

UNO *quatuor filias*, *quarum una* RUDOLFO *isti*, *alia cuidam de Rinfelden parenti Zaringorum nupsit.*

Paterna eorum ex stirpe *Lotharingica* origo.

II. Recentiores scriptores ad ulteriores gradus connisi, hos ipsos, quos modo notavimus, præ oculis habuerunt auctores, cumprimis vero *Lotharingicam* gentem, cui ab ipsa regni *Francici*, post mortem LUDOVICI *Pii* imperatoris, divisione, portioni nempe LOTHARII eius filii natu maximi, quam in filium cognominem transtulit, *Alsatia* quoque accessit.

Etsi vero *Lotharingi*, quibus a LOTHARIIS inditum est nomen, a *Germaniæ* regno aliquamdiu se subduxerint, iterum tamen a *Germanorum* regibus ex *Saxonum* gente ad officium sunt revocati, atque etiam *Alsatia* cum *Alemannia* arctius est constricta. Inde porro est sanguinis inter principes harum gentium coniunctio, quam a Genealogo *Murensi* notatam vidimus: ut tamen non ultra THEODERICUM ducem *Lotharingorum*, ac fratrem CUNONIS comitis de *Rhinfelden* ascendat. LAZIUS *de*
a *migrationibus gentium* a) ulterius gradum faciens, THEODERICUM ducem *Lotharingiæ* nominat patrem CUNONIS, atque adeo RUDOLPHI nostri avum. Qui CUNO exul & patria pulsus, *ad Rhenum in Sequanis prædia comparavit*, ut idem LAZIUS addit: ab eoque ibidem sub finem seculi decimi urbem seu arcem *Rhenofeldensem* constructam vult HENNINGESIUS in theatro genea-
b logico b), ex dote scilicet & hereditate, ut scitcit, uxoris suæ, viduæ CAROLI *Salmensis* & *Lotharingiæ* ducis; quæ fuerit ipsa illa CUNONIS comitis *Oeningensis* filia RICHOLICA, RICHENSA, RICHILDIS seu RICHWARA, ut adpellat, quam modo ex monacho *Weingartensi* cuidam de *Rhinfelden* nupsisse intelleximus, CUNO-

a) Lib. VIII. p. 562. b) T. II. P. I. p. 263. seqq.

CUNONI nimirum, ut putat, patri RUDOLPHI. RICHWARAM vero a prima CUNONIS uxore, quæ filia fuerit comitis *Oeningensis*, distinguit LAZIUS, eamque secundam eiusdem uxorem facit, matrem RUDOLPHI nostri, cuius avum alii non THEODERICUM, sed BRUNONEM, aut CUNONEM potius, seu quod idem est, CONRADUM nominant. Hunc *I. Dan.* SCHOEPFLINUS *in Alsatia diplomatica* a) ex diplomate quodam OTTONIS II. imp. an. 974. notat avum RUDOLPHI nostri, comitemque in *Mortenavia*, ad fidem etiam diplomatis ab OTTONE III. imp. an. 994. dati. Idem quoque in Historia *Zaringo-Badensi* b) ex charta OTTONIS M. an. 961. CHUONRADUM comitem monasterii *Swarzahensis* in comitatu *Mortenuua* advocatum memorat. Apud eumdem tamen c) perinde ac apud P. HERRGOTT d) pagus *Brisigouue* in comitatu *Birchtilonis* recte ex autographo notatur: nisi forte *Mortenavia* a *Brisgovia* uti terminis distincta fuit, sic etiam diversis comitibus paruerit. Idem SCHOEPFLINUS e) ad annum 1000. notat CUNONEM comitem palatii RUDOLPHI III. regis *Burgundiæ*, qui facile is ipse pater RUDOLPHI vel avus esse potuit. Taceo CONONEM comitem *Rheinfeldensem*, quem *Fridericus* LUCÆ f) ad annum 935. sub HENRICO aucupe ludis equestribus *Magdeburgi* ex CRUSIO notavit.

Recentiorum non satis sibi cohærente systemate.

III. HENRICI huius *Germaniæ* regis filia fuit HADWIGIS, OTTONIS Magni soror, uxor vero HUGONIS magni ducis *Parisiensis*, seu *Franciæ* & *Burgundiæ*: ex quo matrimonio nata BEATRIX HUGONIS *Capeti Galliæ* regis soror, FRIDERICO *Lotha-*

a) T. I. p. 124. & 140.
b) T. III. p. 335.
c) Ibid. T. V. p. 7.
d) Geneal. diplom. *Habsb.* T. II. P. I. p. 91.
e) *Alsat.* diplom. T. I. p. 144.
f) *Grafensaal.* p. 437.

Lotharingiæ duci thoro ſociata, ac poſt eius mortem RUDOLPHI avo ſecundis nuptiis coniuncta eſſe creditur ECCARDO & aliis: quo ſimul conſtaret ratio, qua BEATRIX THEODERICI ſimul & CUNONIS, qui RUDOLPHI pater fuit, ac ITÆ mater extiterit. Hæc tamen impugnat CALMETUS diſſertatione præ-
a via in hiſtoriam *Lotharingiæ* a) SCHOEPFLINUS quoque, ut
b alios taceam, id ceu monumentis hiſtoricis ignotum reiicit b), quin tamen advertat idem de ſuo, quod apponit, ſchemate genealogico dici poſſe, quo LUITGARDIS primum LANCELINO comiti, *Habsburgenſium* ſatori, deinde anonymo de *Rinfelden*, avo RUDOLPHI, nupſiſſe dicitur, quem alibi CUNONEM adpellat.

Difficillimam porro reddit genealogiæ *Lotharingicæ* ſeculo XI. diſquiſitionem tot cognominum FRIDERICORUM, THEODERICORUM ac GERARDORUM ſeries. Manifeſte vero errat VIGNIERIUS, quod ITAM *Lotharingicam*, quæ in actis *Murenſibus* utramque paginam implet, GERARDI de *Alſatia*, qui anno demum 1048. ducatum *Lotharingiæ* obtinuit, filiam conſtituat, quum tamen ITA iam circa eadem tempora, vel paullo ſerius
c obierit. Recte quoque idem VIGNIERIUS CALMETO c) vapulat, quod THEODERICUM ITÆ fratrem filium eiusdem GERARDI de *Alſatia* faciat, quum THEODERICUS iſte adhuc iuvenis anno 1070. fuerit mortuus; quem adeo confudit cum fratre GERARDO de *Alſatia*, qui anno illo 1070. obiit, filius autem huius GERARDI THEODERICUS anno 1115. ut ipſe
d poſtea notat CALMETUS d). SCHOEPFLINO in *Alſatia illuſtra-*
e *ta* e) hæret aqua de DEODELRICO ſeu THEODERICO, quem

a

a) T. I. præf. p. CXCIX.
b) *Alſat.* illuſtr. T. II. p. 468.
c) L. c.
d) L. c. p. CCXVI. CCXIX. not. b.
e) T. II. p. 494.

a nobis ignorandum dicit, nisi charta *Bosonis-Villana* eum GERARDO II. vindicaret. Addit vero, videri THEODERICUM illum ipsum esse, quem genealogus *Murensis* ab initio statim genealogiæ suæ *Lotharingorum* ducem dicit, GERARDI ducis patrem, GERARDI de *Egisheim* avum, proavum UDALRICI & STEPHANIÆ seu STEPHANI iuxta *Murensem* genealogum. Quæ vero idem SCHOEPFLINUS genuinis veræ genealogiæ documentis manifeste repugnare, atque confusa esse asserit. a) a

IV. Notitia fundationis *Bosonisvillæ* GERARDUM II. duos filios successores reliquisse perhibet ex coniuge GISILA, THEODERICUM & GERARDUM cognominem, qui apud ALBERICUM ad an. 1048. GERARDUS de *Alsatia* nominatur, estque ordine tertius, eius vero parens secundus inter *comites* & *duces*, quæ passim nomina in antiquis scriptoribus confunduntur: ut adeo nihil referat, ducem appellari in genealogo *Murensi*, qui comes & marchio in laudata charta appellatur. Licet vero, dum mors GERARDI II. refertur ac sepultura cum uxore GISILA, duo tantum

Qua de re nostrum proponitur.

tum

a) Proclive vero admodum fuit in transversum agi ex copia illa GERARDORUM, avi, patris & filii mutuo sibi succedentium; quæ tamen confusio facile tollitur, siquidem a GERARDIS rite distinguamus THEODERICOS, unum GERARDI II. filium fratrem GERARDI III. (iuxta chartam *Bosonisvillæ*) alterum GERARDI III. de *Alsatia* filium, ac GERARDI IV. de *Egisheim* fratrem, iuxta ac rem post CALMETUM & alios in historia *Lotharingiæ* præclare versatos novissimus deducit explicatque (*Alsat.* illustr. l. c.) SCHOEPFLINUS. Fatetur is quidem, ut modo notavimus, nos ignoraturos THEODERICUM illum GERARDI II. filium, nisi illum charta *Bosonisvillana* indicaret: at genealogo *Murensi* notus admodum fuit THEODERICUS, quippe a quo non modo auspicium facit, verum etiam mox eumdem THEODERICUM fratri GERARDO substituit: cætera vero generationem GERARDORUM atque adeo genealogiam *Lotharingicam* recte prosequitur: quin itaque hæc genuinis veræ genealogiæ documentis manifeste repugnare, confusa & errorum plena dicere debuisset SCHOEPFLINUS.

tum filii, quos diximus, nominentur, qui patri ſucceſſerint; alio tamen eiusdem chartæ loco inter nomina benefactorum GISILÆ multo copioſior proles adſcribitur, & quidem GISILÆ ſoli in numero ſingulari, licet GERARDUS maritus proxime antecedat, GERARDUS *comes*, GISILA *& illius proles inclita*, ADALBERTUS, GERARDUS, CUONRADUS, ADALBERO, BEATRIX, CUONO, GISILA, ISEDDA *abbatiſſa*, AZELINUS, IDA, ADELETH ... Neque vero, ut SCHOEPFLINO viſum eſt, prior, quem protulimus, chartæ *Boſonisvillanæ* locus contrarius eſt, quo GERARDO & GISILÆ duo tantum, quos ſucceſſores habuerit, adſcribuntur filii DEODELRICUS & GERARDUS; ſed dumtaxat aliam numeroſam prolem ex alio marito ſuſcepiſſe GISILAM oſtendit: unde eſt, quod dicitur *Giſila & illius proles.*

Inter prolem illam recenſentur etiam CUONO & IDA, quorum ille iuxta genealogum *Murenſem* THEODERICI frater, IDA vero ſeu ITA ſoror erat, omnes liberi uterini, ex GISILA ſcilicet matre, non item ex GERARDO patre, ſed CUNONE, vel ſi quo alio nomine appellaretur RUDOLPHI avus: qui etiam filiam reliquit ADELHEIDEM, ut poſtea dicemus, LUDERO comiti *Stadienſi* nuptam. Hinc congruit in illa recenſione nomen ADELETH, quo procul dubio mulier deſignatur ADELHEIDIS. a)

V.

a) Ut SCHOEPFLINUS annotavit contra CALMETUM, qui ODELRICUM ſeu ULRICUM hic divinavit, qui quidem frater GERARDI fuit, ſed non GERARDI de *Alſatia*, ut iam ab aliis eſt obſervatum apud eumdem CALMETUM (Hiſt. *Loth.* T. II. pag. 218. &c.) Sic etiam genealogus *Murenſis* dum GERARDUM ducem THEODERICI *Lotharingorum* ducis filium conſtituit, non potuit intelligere GERARDUM de *Alſatia* quippe qui frater fuit THEODERICI (Vid. VIELAND p. 131. &c.): quare illi, quod aliis, accidere proclive fuit, ut ex confuſione cognominum humani aliquid pateretur; cum nec hodie tanta diligentiſſimorum ſagaciſſimorumque ſcriptorum contentione res hæ genealogicæ tam intricatæ ullo ſtudio ſummoque labore &

V. Verum novus nobis ſecundum dicta ad chartam *Boſonisvillanam* nectitur nodus ex actis *Murenſibus*, in quibus ITA ac WERNARIUS *Argentinæ* civitatis epiſcopus CUNONEM *fratrem ſuum de matre* elegiſſe dicuntur ad dotationem *Murenſem* perficiendam. De WERNHERO paullo poſt videbimus. ITA vero non uterina ſed germana CUNONIS fuiſſet ſoror, ſi omnem illam inclitam prolem, quam ex charta *Boſonisvillana* recenſuimus, ex uno marito ſuſcepiſſet GISILA. Res in ſalvo foret, ſi illo loco etiam THEODERICUS connumeraretur, ut adeo promiſcue dici poſſent omnes ibi GISILÆ filii filiæque ex quocumque thoro recenſeri *inter nomina vivorum atque defunctorum fratrum* (ut verba habent) *quorum allodio vel eleemoſyna iſte S. Crucis locellus bene eſt fundatus.* Sed ratio in promtu eſt, ob quam THEODERICUS locum non mereretur inter eos, quorum allodio vel eleemoſyna fundata eſt *Boſonisvilla*, licet perinde ac cæteri eſſet GISILÆ filius, quippe præmature, ut diximus, mortuus. Obſervandum vero eſt in altero ex charta *Boſonisvillana* allato loco, DEODELRICUM ſeu THEODERICUM & GERARDUM ibi tantum nominatos videri tamquam ſucceſſores patris GERARDI, qui dicitur defunctus & in choro ſanctæ crucis ad latus patris ſepultus, uxorque eius GISILA in choro *S. Petri* terræ mandata, *ſuccedentibus ſibi filiis*, DEODELRICO *videlicet comite & GERARDO duce*, maſcula nempe prole, ut nihilominus ITA germana eorum ſoror eſſe potuerit, ex eodem patre GERARDO *Lotharingo* nata. Id quod acta *Murenſia* innuunt,

De ITA & CUNONE RUD. patre GISILÆ natis & CUNONE RUDOLPHI avo.

M 2 dum

ſolertia extricare hactenus potuerint. Quinimo dici poteſt, Anonymum *Murenſem*, quod ipſam hanc genealogiæ ſeriem attinet, ſphalmate carere: ſeries enim illa recte procedit, etſi THEODERICUS præmature mortuus GERARDO II. GERARDI ducis patri fuerit ſubſtitutus.

dum RADEBOTONEM uxorem de partibus *Lotharingorum* accepiſſe perhibent nomine ITAM: ad diſtinctionem nimirum aliarum prolium eiusdem matris GISILÆ, quas ex alio quoque ſuſcepiſſe dubitare non ſinunt notata iam chartæ *Boſonis-Villanæ* verba, ubi poſt GERARDUM maritum immediate nominatur GISILA *& illius proles inclita:* quippe ſi omnis illa proles ex uno patre GERARDO fuiſſet generata, dicendum fuiſſet GERAR-
a DUS *comes*, GISILA, *& illorum inclita proles.* a)

Sic vero utcumque congruunt tempora, recte omnino ad chartæ *Boſonisvillanæ* fidem dotatione facta adoleſcente ad modum ſæc. XI. ante mortem GERARDI & GISILÆ: quæ, cuiuscumque ſtirpis fuerit, certe numeroſæ ſobolis mater provecta ætate obiiſſe cenſenda eſt, cum ex prole illa iam tunc ISEDDA abbatiſſa notetur. Ab ipſis *Murenſibus* ſodalibus illuſtriſſimis *Dominico* TSCHUDY
b c b) & *Fridolino* KOPP c) repudiata eſt opinio illa, qua ITA & CUNO mortui feruntur eodem forte anno 1026. quo in necrologio *Murenſi*, ſeculo demum XVII. interpolato, ad diem XIV. *Octob.* comes de *Rhinfelden* notatur. In necrologio monialium

O.

a) Craſſum porro BAIONI errorem (qui anno demum 1326. in proœmio ſe quæcumque habere potuit ſub uno voluminis textu breviter coarctaſſe fatetur;) iam notavit SCHOEPFLINUS, GISILÆ cum GERARDO matrimonium ad annum demum 1037. revocantis. Ab eodem vero BAIONO confuſos fuiſſe GERARDUM I. & II. animadvertit CALMETUS & SCHOEPFLINUS, qui indignatur quoque (*Alſat.* illuſtr. T. II. p. 494.), quod contra illius verba CALMETUS GISILAM CONRADI II. imp. neptem, ſeu coniugis eius ſororis filiam conſtituerit; additque diligentiſſimus hic auctor, nullam ſe CONRADI II. nullam uxoris eius GISILÆ ſororem reperiſſe, cuius filia dici poſſit GERARDI II. coniux GISILA. „BAIONUS eam (ſubdit) „& HENRICI II. imp. & ipſius GERARDI „II. neptem appellat, quod facilius ex„plicari nequit, quam ſi GERARDUM II. „patruelem ſuam, ex GERARDO I. & E„VA, CUNEGUNDIS imperatricis ſorore „natam, uxorem duxiſſe ſtatuamus.“

b) Orig. comit. de *Habsb.* p. 54.

c) Vindic. p. 235.

O. S. B. *Turicensi* legitur *Walterus famulus domini Chunonis de Rhinfelden* ad diem XVII. Kal. *Novembris*. *Adelbero episcopus, Rudolphus rex, Chuno comes* memorantur in antiquioris necrologii *San-Blasiani* fragmento, quod adglutinatum est asserculis cod. Msc. qui asservatur in bibl. Cæs. *Vindob.* class. med. num. VI. Quo fato accidit, ut CUNONIS huius memoria apud nos pœne oblitteraretur. In nostris quippe, quæ ex iteratis incendiis supersunt, monumentis iam nihil de eo reperire est, quem sepultum in *Nigra silva* ad *S. Blasium* passim perhibent scriptores; quod idem de CUNONIS nepotibus RUDOLPHI filiis BERTHOLDO & OTTONE referunt, sepultos eos esse ad *S. Blasium iuxta avum*, i. e. CUNONEM, RUDOLPHI anti-cæsaris patrem. HENNINGESIUS in theatro geneal. CUNONEM apud *S. Blasium* in *Nigra silva* advocatum egisse memorat.

Quod vero de anonymo *Weingartensi* iam notavimus eum nos quoque ad avum RUDOLPHI manuducere, iam etiam expendendum est. Narrat is, ex quatuor filiabus CUNONIS comitis *Oeningani* unam obtigisse *cuidam de Rinfelden parenti Zaringorum.* Non audemus hic discutere, quo sensu anonymo parens *Zaringorum* dicatur, quisquis ille sit de *Rhinfelden*, cum ipse accuratissimus gentis *Zaringicæ* historicus novissimus *Dan.* SCHOEPFLINUS rem hanc intactam reliquerit. Idem tamen nobis in *Alsatia* diplomatica a) digitum intendit ad avum RUDOLPHI patri cognominem CUNONEM, qui dicitur in dipl. OTTONIS II. an. 974. CONRADUS comes *Mortenaviæ*. Notatum porro legi in Msc. cod. sæc. XII. chronico monasterii *S. Georgii* ad an. 1012. CUNO *comes occiditur in Susenhart*. CUNONEM hæc comi-

a) T. I. p. 124. not. e.

comitem *Rhinfeldensem* attingere circumstantiæ loci temporis & rerum gestarum nos satis verosimiliter persuadent: loci equidem, cum Susenharda *Tractus nimirum ille*, ait SCHOEPFLINUS in
a hist. *Badensi* a) *superioris Brisgoiæ ad Susenbergæ castrum spectans Susenharda nuncupari solet*. Hic igitur locus CUNONI cum fatalis fuerit an. 1012. occasio iam rei est inquirenda. BAYO-
b NUS, teste SCHOEPFLINO, b) singularia quædam profert de GERARDO II. *Egisheimensi* patre THEODERICI & GERARDI III. de *Alsatia* dicti, atque de GISILA nepte GERARDI II. ex patruo GERARDO I. fratre ADALBERTI I. (qui dicti mox GERARDI genitor erat) simulque affine HENRICI II. Imp. ob S. KUNIGUNDAM sororem matris GISILÆ, BAYONI autem verba hæc sunt: *Gravis dissensio anno* 1012. *orta inter* HEINRICUM *Cæsarem... & Comitem* GERARDUM *fratrem* ALBERTI *Ducis Lotharienſium, qui* GERARDUS *neptem ipsius Cæsaris ex sorore nomine* GISLAM *uxorem sortitus erat*. Gravis huius dissensionis gravis intercesserit causa oportet, quam idem BAYONUS alio loco ex parte GISLÆ uxoris hucusque CUNONIS, vel ex parte GERARDI datam non dissimulat, modeste exponens his verbis: *Anno* 1037. *comes* GERARDUS *neptem ex sorore nomine* GYSELAM *pro re quam decet silentio premi, uxorem sortitus est*. Error hic in chronologia BAYONI deprehenditur, dum nuptiæ GERARDI cum GYSELA an. 1037. initæ dicuntur, quem SCHOEPFLINUS l. c. n. 66. & 67. correxit ipsisque BAYONI verbis paullo ante corrigitur scribentis GERARDI nuptias anno 1012. cum GYSELA initas esse. Mors igitur CUNONIS in *Susenhart* quovis modo contigerit an ex insidiis, an prælio aperto? Illam certo contigisse scimus, ut exinde liberum fuerit GERARDO neptem suam sibi thoro sociare.

a) T. I. lib. III. c. 3. §. I. p. 377. b) *Alsat.* illustr. T. II. p. 493.

re. Matrimonia eiuscemodi inter principes insueta adeo haud fuere. Consimilisque se nexus proderet, siquidem cum *I. Sam.* STRAUSSIO in dissert. de RUDOLPHO Anticæs. a) CUNO noster in linea recta ex CUNONIBUS *Oeninganis* descendens ad fidem anonymi *Weingart.* uni ex filiabus CUNONIS mariti RICHENZÆ filiæ OTTONIS M. nupsisse primum dicatur. Ex matrimonio autem cum GISILA CUNONEM cognominem patrem RUDOLPHI, simulque ADELBERTUM seu ADALBERONEM episcopum *Wormat.* nec non ADELETH seu ADELHAIDEM uxorem LUDERI comitis *Stadiensis* natos postea intelligemus, quæ nempe in charta *Bosonisvillæ* notantur nomina cum ITHA sorore uterina, ex matrimonio nimirum GISELÆ cum GERARDO. a

VI. ITÆ & THEODERICI ducis atque adeo CUNONIS frater dicitur in laudatis actis *Murensibus* WERNHARIUS *Argentinæ* civitatis episcopus: quod inde difficultatem patitur, dum ITÆ maritum RADEBOTONEM comitem constat fuisse aut fratrem aut nepotem ex fratre LANCELINO LANCELINI filio, GUNTRAMNI nepote. Ex hac enim stirpe oriundum fuisse WERNHARIUM *Argentinensem* episcopum, litteræ fundationis monasterii *Murensis* manifestant, in quibus WERNHARIUS LANCELINUM fratrem germanum appellat. In HENRICI V. imp. vero charta an. 1114. pro libertate *Murensium*, quæ eorum actis inserta est, WERNHARIUS episcopus WERNHARII comitis *Habsburgensis*, qui fuit RADEBOTONIS ex ITA filius, parens, qui tamen fuit patruus, nominatur, sensu accommodo, perinde ac idem WERNHARIUS episcopus ITÆ frater dici potest, uti hodiedum inter affines ad instar etiam S. Scripturæ mos iste perdurat.

An WERNHARIUS episc. *Argentoratensis* eius frater.

a) Apud WEGEL. thes. Rer. *Suev.* T. II. dissert. XIV. p. 170.

a rat. Sicque Rev.mus TSCHUDIUS abbas *Murensis* a), ac post cum alii, ITAM WERNHARII fratriam esse statuit.

WERNHARIUM ineunte iam seculo XI. episcopum *Argentora-*
b *tensem* fuisse, chartæ an. 1003. in *Gallia* christiana b) demonstrant, subscripsit quoque a. 1007. fundationi episcopatus *Bam-*
c *bergensis*. Obitus eius ibidem c) ad an. 1029. reponitur ex chronographo *Saxone*, LAMBERTO *Schaffnaburgense* & chronico *Hildesheimensi*, quo anno *Constantinopoli* legatus obierit V. Kal. *Nov*. In actis *Murensibus* mors eius biennio citius consignatur; sed ad eorundem fidem tardior obitus, aut diuturnior saltem in
d patria commoratio intercedit. d)

De RADEBOTONE ITÆ marito.

VII. Nova hic exoritur difficultas, quod RADEBOTONEM spectat ITÆ maritum, an nempe idem sit WERNHARII frater, de quo modo locuti sumus, uti & LANCELINI, ac RUDOLPHI quoque fundatoris monasterii *Othmarsheimensis* in *Alsatia*. Extat in

a) Orig. comit. *Habsb*. p. 31.
b) T. V. append. col. 466. &c.
c) pag. 793..
d) Meminimus WERNHERI huius in historia *Nigræ silvæ* p. 412. n. 24. ubi de fundatione monasterii *S. Crucis* in *Donawerd* agimus facta a MANEGOLDIS comitibus de *Dillingen*. Ex quibus MANEGOLDUS I. socius WERNERO in itinere *Cpolitano* fuit an. 1027. cum perperam ibi annus 1030. ponatur.

Sunt, qui statuant memoratam necessitudinem ITHÆ uxoris RADEPOTONIS *Habsburgici* cum WERNHARIO II. episcopo *Argentoratensi*, electo an. 1065. quem HENNINGESIUS in theatro geneal. filium facit BECZONIS GUNTRAMNI divitis filii; perperam omnino utrumque, perinde ac illud, dum alii idcirco sententiæ *Æg*. TSCHUDII, qui, WERNHARIUM hunc *Egisbemensi Lotharingiæ* prosapiæ adscribit, favent, quod ibi proximum forte affinitatis vel cognationis vinculum suspicentur: quidni etiam in *Thuringica* stirpe iuxta LAQUILLE ex ADELHEIDE RUDOLPHI amita? Attamen acta monasterii *Zwifaltensis*, a CRUSIO & SULGERO allata, WERNERUM II. comitem *Achalmensem* produnt. Notatus a nobis error forte auctores *Galliæ* christianæ induxit, ut WERNERUM non fratrem RADEPOTONIS sed filium dicerent, WERNERUM comitem RADEPOTONIS filium cum patruo WERNERO episc. confundendo.

in huius gratiam diploma HENRICI IV. an. 1063. datum in SCHOEPFLINI *Alſatia* diplomatica inter diplomata *Salica* a) editum. Ex ſententia D. GRANDIDIER diligentiſſimi ſcriptoris hiſtoriæ *Argentoratenſis* RUDOLPHUS an. 1063. adhuc in vivis fuit, qui monaſterium iſtud ſuis ſumtibus in proprio prædio ædificatum, a LEONE IX. papa, qui ſedem *Romanam* ab an. 1048. uſque 1054. tenuit, conſecrari fecerit. Sed quomodocumque res hæc ſeſe habeat, fides actorum *Murenſium* nequaquam fallit, dum RADEBOTONI ITÆ marito RUDOLPHUM, *qui cellam Othmarsheim conſtruxit*, fratrem tribuit. At per ætatem implicat potius, quo minus hic RUDOLPHUS idem ſit, qui in charta ſeu traditione BIRCELONIS comitis an. 1010. apud P. HERRGOTT b) inter teſtes comparet *Rudolf comes.* c) a b c

Potiſ-

a) N. 216.

b) Cod. prob. Geneal. *Habsb.* T. II. P. I. p. 103. n. CLXIII.

c) Apud eumdem auctorem (L. c. p. 106. n. CLXVI.) in charta HEINRICI II. an. 1023. comitatus RADEBOTONIS in pago *Chlegeuwe* ſitus memoratur, quem quidem hunc ipſum noſtrum eſſe RADEBOTONEM comitem de *Altenburg* conſentiente SCHOEPFLINO tenet P. HERRGOTTUS & eius hyperaſpiſtes P. HEER; ſed Ill. B. de ZURLAUBEN rudera nobis ſiſtit haud procul a caſtro *Habsburg* in *Argovia* caſtri *Altenburg*, diverſi adeo a pagello cognomine in *Cleggovia.* RADEBOTONEM vero noſtrum quod attinet, ex ſententia retractatoris actorum *Murenſium*, prout in recentiori Mſc. monaſterii *Engelbergenſis* habetur, atque a *Gottlieb Emanuel* HALLER (*Erſter Verſuch einer critiſchen Verzeichnus aller Schriften welche die Schweiz angeben* p. 162.) & aliis celebri *Æg.* TSCHUDIO tribuitur, alter hic ſeu iunior RADEBOTO intelligi deberet, quem a. 1048. obiiſſe, *Muris*que ſepultum ſtatuit. In necrologio *Murenſi* RADEBOTONIS morti annus 1027. aſſignatur; ſed ipſe ill. KOPPIUS (Vindic. act. *Mur.* p. 235.) pro infallibili eius hac in re fide ſpondere non audet, eo quod in eius recognitione a. 1623. facta, multa tam *Æg.* TSCHUDII, quam STUMPFII & GUILLIMANNI auctoritate fuerint ſuppleta: „quare (addit) abbas DOMINICUS, „vetus necrologium ſecutus, merito non „acceptat annos morti tam ITÆ quam „RADEBOTONIS ſupra aſſignatos, refragantibus etiam actis.“

Potiſſimam ſane hæc obſcuritatem relinquunt, tanto difficilius, poſt plura iam ſecula penitus removendam, quanto minus vel ipſus forte auctor ſatis ſe extricare potuit, ob nominum idemtidatem: quæ facillime animum perplexum reddere valet, niſi duo ſtatuantur RADEBOTONES, quorum ſenior WERNHARII epiſcopi *Argentinenſis* frater an. 1021. improlis obiit, alter, ut diximus ex ſententia *Æg.* TSCHUDII, qui an. 1048. mortuus fuerit, gentis *Habsburgicæ* ſator ex ITA coniuge, quæ cum CUNONE rem circa inſtaurationem monaſterii *Murenſis* egerit iuxta id, quod a WERNHARIO *Argentoratenſi* epiſcopo prius iam publico inſtrumento fuerit transactum. Fingamus vero nobis præſentem anonymum *Murenſem*, ut ſciſcitemur ex ipſo de RADEBOTONE vel RADEBOTONIBUS, quidni dicet nobis ille? Mihi res de actis & fundatoribus monaſterii mei *Murenſis* fuit, mea cæterum non intereſt, quotquot fuerint RADEBOTONES.

De THEODERICO ITÆ & CUNONIS fratre.

VIII. Sed hæc qua arte combinari queant cum ITÆ obitu, quem ipſe *Æg.* TSCHUDIUS ad an. 1026. collocat, atque ad eius forte mentem necrologium *Murenſe*, ſeculo demum XVII. ut diximus, recognitum? Perperam id quidem meo iudicio factum; WERNHARIUS enim ITÆ & RADEBOTONIS filius, *Murenſis* monaſterii advocatus & fautor inſignis, an. demum 1096. iuxta acta *Murenſia* obiit, OTTO autem eius frater in ætatis flore an. 1051. ab ERINLIERO occiſus, ADALBERTUS denique an. 1055. mortuus. Hæc inquam non video, quomodo cum illa receptiore iam ſententia conciliari queant, quæ ITAM FRIDERICI I. & BEATRICIS ducum *Lotharingiæ* ac *Barri* comitum filiam faciunt. Id CALMETO perinde plane peregrinum eſt a), quod

a) Hiſt. *Lothar.* T. I. p. CXCVIII.

quod omnes hiſtorici domeſtici æque ac chronologi affirmant, eisdem præter THIETRICUM ſeu THEODERICUM nullam fuiſſe ſobolem, cum tamen ITÆ frater THEODERICUS iſte ipſiſſimus eſſe dicatur, a quo auſpicium facit genealogus *Murenſis*.

Qui nuperrime vindicias vindiciarum *Koppianarum* adornavit *Io. Bapt.* VIELAND, totas quidem vires collegit, ut temporum quamdam concordiam hic obtineat, ad quod ipſi magna pars ſeculi X. nec modica XI. in pugnum coarctanda fuit. Tandem nihilominus in ſcenam producto adhuc THEODERICO, ipſiſſimi nimirum THEODERICI I. & SCHONEHILDIS filio cognomine, ita demum concludit a): *Sed obſtant & huic hypotheſi neſcio* a
quantæ difficultates: occurunt utique circa ITÆ *tempora alii adhuc & alii* THEODERICI *ex partibus Lotharingorum* (*ut actuarius noſter loquitur*) *oriundi, nunc duces nunc comites dicti, ex veterum ſcilicet ſcriptorum ſtilo, qui obſervante* BALUZIO (in notis ad LUPI *Ferr.* ep. CXXII. ed. *Antwerp.* p. 457.): *aliisque, quos & P.* HERRGOTTUS b) *ſequitur, hos titulos magnatibus* b
promiſcue indiderunt. Ponamus itaque, ITAM *neutrius* THEODERICI *Barrenſis ſororem fuiſſe, quid tum? ergo non erat ex hac gente oriunda? At ideo falſum non eſt, quod ſoror fuerit* THEODERICI *quacumque demum ex ſtirpe ſati.* Viveret utinam ſodalis hic olim & amicus meus, atque arbitraretur, quam recte, ad ipſius mentem & deſiderium, alium THEODERICUM ITÆ fratrem GERARDI II. filium, fratrem item GERARDI III. *Lotharingiæ* ducis ſtatuamus, periculumque ipſius faceret, qua ratione hoc ex illo ſyncellitarum, quos adverſarios primum indignati ſunt *Murenſes*, ſodalitio prolatum ſyſtema cum genealogia actisque ſuis concordet.

a) Pag. 141. b) Geneal. dipl. L. I. c. XI. §. VI.

Conciliata genealogi & actorum *Murensium* fide.

IX. Neque vero instituti mei nunc fert ratio, ut in totum illum amplissimum campum excurram, quem tum genealogus actis *Murensibus* præmissus, tum ipsa *Murensia* acta explicant, in asserendis originibus potentissimarum gentium ex *Ethiconigenarum Alsatiæ* ducum stirpe, quæ auspicatissimo inter FRANCISCUM I. imp. *Lotharingum* & M. THERESIAM *Habsburgo-Austriacam* sociata connubio principatum imperii *Romano-Germanici* in augusta domo *Lotharingo-Austriaca* obtinet, nostrisque in terris avitas cum *Badensibus* marchionibus & *Furstenbergicis* principibus partitur *Zaringorum* ditiones. A THEODERICO *Lotharingorum* duce orditur *Murensis* genealogus, cuius frater fuerit CUNO comes de *Rhinfelden*, soror autem ITA comitissa de *Habsburg*, quam, iuxta acta Murensia, RADEBOTO *uxorem duxit de partibus Lotharingorum*, *sororem* THEODERICI *ducis*, de quo diximus. Concurrit equidem hic etiam WERNHARIUS primus eius nominis *Argentoratensis* episcopus qui affinitatis titulo ITÆ frater dicitur, cum fuerit aut frater aut patruus RADEBOTONIS, mariti ITÆ comitissæ.

RADEBOTO in actis *Murensibus* paullo post initium nominatur filius LANCELINI, qui GUNTRAMNI divitis filius circa locum *Mure* defensor ab habitatoribus fuit constitutus: cum vero post mortem LANCELINI possessiones suas recuperare vellent, a RADEBOTONE filio cum iniuria repulsi sunt. Tum vero narrat, quod RADEBOTO *comes iam pro hereditate possidens locum Mure & omnia ad eum pertinentia potentius ac firmius, quam pater sibi subiecerit.* Cum autem patris nomen hic haud exprimatur, præcise dici nequit, LANCELINUM GUNTRAMNI filium indigitari. Sicque non adversante actorum *Murensium* au-

ctore,

ctore, nuptiæ ITÆ cum iuniore RADEBOTONE initæ dici possunt, accepto in dotem loco *Mure*; quem illa deinceps religione ducta postliminio in monasterium restaurare in animum induxerit, iam prius a WERNHARIO episc. *Argent.* constructum edito etiam solo eius nomine instrumento fundationis: *quia ipse in his tribus personis*, ut habent acta, *potior inventus est, ut eo firmior ac validior sententia sit, quam si a femina constructum esse diceretur*... Erat porro locus in patrimonio avito WERNHARII, qui LANCELINI senioris filius, iunioris erat frater, quem in charta illa veluti testamenti sui executorem constituit. Acta autem RADEBOTONIS comitis, quem in decursu nominant, fratrem RUDOLPHUM, *qui cellam Othmarsheim construxit*, indigitant; ut adeo non invito actorum *Murensium* auctore duo RADEBOTONES distingui posse videantur. Sed quænam nobis vetera monumenta duos RADEBOTONES designant? Unum enim, & quidem recens seculi superioris Msc. atque auctoris incerti, rem non evincit, nec vadimonium præstat aut fidem.

Ponamus vero, rem se secus habere, non implicat equidem, quominus RADEBOTO, filius LANCELINI senioris sec. X. ad finem vergente mortui, fratrem habuerit RUDOLPHUM, qui circa medium sec. XI. cellam *Othmarsheim* construxit, quique frater etiam fuerit WERNHARII, qui ad initia seculi XI. erat episc. *Argent.* usque ad an. 1028. vel 1029. Ad rem vero non facit, quod ITA (accepto in dotem, ut acta perhibent, loco *Mure*) RADEBOTONI nupta, cum hoc WERNHARIO mariti fratre seu patruo prima agitarit consilia de instaurando monasterio *Murensi*, effeceritque, ut charta illa firmitatis, cuius meminimus, eiusdem WERNHARII ep. nomine scriberetur. Cum vero

mortuo LANCELINO iuniore omnia in manus CUNONIS comitis commendarentur, is autem (WERNHARIO an. 1027. iussu CONRADI imp. legationem *Constantinopolitanam* aggresso eique immortuo) rem negligeret, ITA novis moliminibus cum marito RADEBOTONE CUNONEM fratrem de matre aggressa, votisque tandem potita, redintegrato monasterio *reparatrix huius Murensis cœnobii* a genealogo dici potuit: atque adeo sic sua constaret
a genealogo actisque *Murensibus* fides. a)

De ADELHEIDE RUDOLPHI item amita.

X. Inter GERARDI II. & GISILÆ copiosam sobolem ADELETH seu ADELHEIDEM quoque in citata charta *Bosonisvillana* recensitam vidimus: quo nomine RUDOLPHI nostri amitam, seu CUNONIS patris sororem LUDERO comiti *Stadensi* uxorem fuisse constat ex testimonio veterum. Patri eius SIFRIDO annus
b mortis 1037. assignatur apud *Christoph.* HARENBERGIUM b).

Hic

a) Qui vero ab *Ægidio* TSCHUDIO in scenam producitur WERNHARIUS II. ex canonico *Argentinensis* episcopus & comes de *Egisheim*, si etiam adnumeraretur numerosæ illi GISILÆ proli, quæ in charta *Bosonisvillana* inter benefactores absque WERNHARII nomine exprimitur, ITÆ tamen sorori in instaurando *Murensi* cœnobio operam impendere per tempus haud potuit, cum ante annum 1065. episcopus esse nequiverit; nisi forte proleptice episcopo tribuatur, quod longe antea ceu canonicus adhuc gesserit. Neque enim amplius ITÆ memoria in actis *Murensibus* occurrit, postquam mortuo RADEBOTONE WERNHARII filii opera & studia enarrantur in consummanda penitus monasterii instauratione, cuius ecclesia an. 1064. dedicata est. Evocatus illuc anno sequente ex *S. Eremo* fuerat primus abbas, agente WERNHARIO RADEBOTONIS & ITÆ filio, qui an. 1096. obiit, atque expresse WERNHARII episcopi *Argentoratensis* nepos nominatur in bulla INNOCENTII II. P. quæ apud illustr. KOPPIUM in *Vindiciis* (p. 251.) legitur; cuius utique potior est auctoritas, quam chronici *Novientensis*, in quo WERNHARIUS II. ep. *Argent.* HEZILONIS anno 1065. successor RADEBOTONIS frater adpellatur: quod, si quidem duo statuantur RADEBOTONES, de iuniore intelligendum foret, WERNHARII comitis non patre, sed avo; atque sic WERNHARIUS II. episc. patruus dici debuisset. (GRAND. T. II.)

b) Hist. eccles. *Gandersh.* p. 1219.

Hic, inquit ALBERTUS *Stadensis* in chronico a) *genuit comitem* LUDERUM, *qui accepit uxorem* ADELHEITHIM *amitam* RUDOLPHI, *quem Saxones elegerunt in regem contra* HEINRICUM, *genuitque ex ea* UDONEM *primum, qui factus est marchio.* Altius ibidem repetit ſtemma ab HENRICO, qui floruit tempore HENRICI II. ſeu etiam adhuc citius ſub OTTONE I. iuxta fidem chronologiſtæ *Saxonis.* Is ad an. 1056. b) de LUDIGERO ſeu LUDERO verba faciens, *qui*, ait, *a plerisque dictus est* UDO, *eiusque uxor* ADELHEIDIS *dicebatur, ex qua genuit hunc* UDONEM, *qui occiſo* WILLELHELMO *primus ex illa generatione marchiam aquilonarem adquiſivit;* marchiam nimirum *Brandenburgenſem*, quod in chronologia marchionatus *Brandenburgenſis* apud *Garcæum* a GERCKENIO rurſus editum c) ad annum 1070. refertur. Poſtea d) dubitatur, an non ulterius ad an. 1080. reponenda ſit ereptio *Brandenburgica Slavis* facta. a b c d

Varia autem inter decennium illud in bellis *Saxonicis* ab UDONE geſta apud LAMBERTUM *Schaffnaburgenſem* aliosque leguntur. Inter cætera præcipuum illud eſt, quod in prælio an. 1076. *conſobrinum ſuum* RUDOLPHUM *ducem Suevorum, qui eo die fortiter pro rege dimicaſſe notatus eſt, fortiter percuſſit in faciem, & niſi galea dependens eum defenderet, capitis ei ſuperiorem partem abſtuliſſet;* ut ad eum annum inter alios narrat annaliſta *Saxo* apud ECCARDUM e) iisdem, ut plerumque BRUNO de bello *Saxonico* apud FREHERUM f) verbis. Neque obiter hic prætereundus eſt ſuperior adhuc affinitatis gradus in RUDOLPHI maioribus: ſiquidem, monacho *Weingartenſi* teſte g) CUNO e f g

a) Ed. *Helmſtad.* an. 1687. p. 164.
b) Apud ECCARD. corp. hiſt. med. ævi. T. I. p. 488. c) p. 24. d) p. 48.
e) Loc. cit. pag. 518.
f) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 190.
g) LEIBN. Script. rer. *Brunſwic.* T. I. p. 783.

CUNO *Oeninganus* ad lacum *Podamicum* comes filiam cuidam de *Rinvelden* in matrimonio dedit, eiusdem autem CUNONIS *Oeningani* filius primus, EGGBERTUS *ſcilicet, marchiam illam, quæ eſt in finibus Saxoniæ verſus Stadin nominatam obtinuit, & filios ac filias per diverſas regiones diſſeminatos genuit.* Ea ſunt monachi *Weingartenſis* verba, quæ nos ſuapte deducunt ad ſtemma RUDOLPHI noſtri *Rhinfeldenſis* maternum ſaltem ex ipſa OTTONIS M. proſapia illuſtre.

Monachi *Weingartenſis* locus collatus cum diplomate *Oeningano*, quod vindicatur.

XI. Nominat monachus hic *Weingartenſis* poſt EGGEBERTUM reliquos tres CONONIS ſeu CUNONIS comitis *Oeningenſis* filios LEOPOLDUM, LUITOLDUM, COUNONEM, qui ordine & litteris paullulum immutatis EGGEBERTUS, LUIPOLDUS, CHUONO, LUTOLDUS leguntur in diplomate OTTONIS imp. quod mendoſe editum in *Franc.* PETRI *Suevia eccleſ.* p. 646. a) ſervatur in archivio epiſcopi *Conſtant.* ceu præpoſiti monaſterii *Oeningani*, cuius fundationem continet. Vidi illud (uti & aliud FRIDERICI I. imp. quo eccleſiam illam a ſuis progenitoribus initiatam & fundatam teſtatur, quod edimus) meis oculis integerrimum, cum monogrammate & ſigillo, quæ inter legitur *Signum domini* OTTONIS *magni & invictiſſimi imperatoris auguſti.* Sequitur ſubſcriptio: HILTIBOLDUS *epiſcopus & cancellarius vice* WILLIGISI *archicancellarii recognovi. Data Idus Ian. anno dominicæ incarnationis DCCCCLXV. regni vero* OTTONIS *XXVIIII. imperii autem IIII. Indict. VIII. actum feliciter Curie. Amen.*

Quæ quidem omnia recte ſe habent quoad OTTONIS M. annum regni, imperii, indictionis quoque, reſpondentem anno Chri-

a) Vid. P. *Gerard.* HESS *Monumenta* GUELF. p. 99. &c.

Christi 965. cui vero neutiquam respondet subscriptio HILTIBOLDI episcopi & cancellarii vice WILLEGISI archicancellarii. a) a

Verum num ideo fides diplomatum, quæ omnes alios genuini & authentici instrumenti characteres præseferunt, labascit? Nullo sane id modo. Quod diplomata *Ottoniana* attinet, illud semper est præ oculis habendum: OTTONEM secundum primi filium a patre iam an. 961. esse in consortium Imperii assumtum; filium vero, cum pater haud raro per annos absens in *Italia* esset, rem in *Germania* egisse patris nomine servata etiam illius chronologia. Ii vero, quibus clam non est, quid intersit inter formulas diplomaticas *Actum* & *Datum* eamdem chrono-

no-

a) ANNONIS episcopi *Wormatiensis* mortem SCHANNATUS (Hist. *Wormat.* T. I. p. 327. & T. II. p. 24.) ad IX. Kal. *Dec.* anni 976. reponit; perperam igitur die 5. *Ian.* an. 975. eidem suo fratri in episcopatu *Wormatiensi* successisse dicitur HILDEBOLDUS; nec ante annum 978. in subscriptionibus notatur *vice* WILLIGISI *archicapellani*, ut iam BESELIUS (In chron. *Gottwic.* p. 203.) observavit. Hunc ut mihi scrupulum demerem, scripsi ad D. BLAICHERUM aulicum episcopi *Constantiensis* consiliarium, qui olim archivarius in studio antiquario consenuit, ab illo sciscitatus, num forte error aliquis amanuensis intercessisset: quod, si umquam alias, anno hoc 965. proclive fuisset, quo cancellariorum & archicancellariorum officium præcipue variavit. Tum vero litterarum ille ductus oblongus, cum sola fere distinctione apicis intra ac supra, facile loco RUDOLPHI vel LIUDOLFI cancellarii ac WILHELMI archicapellani, notissima in diplomatibus HILDEBOLDI & WILLIGISI nomina legenti suggerere potuisset. Sed iterato facto examine rescripsit BLAICHERUS, subscriptionem ita se habere, de authentia vero diplomatis nec quidquam dubii posse moveri, ut mihi etiam intuenti manifeste visum fuit. WILLIGISUM quidem annis 971. & proxime sequentibus ceu cancellarium subscripsisse reperio ad annum usque 975. quo archicapellanus occurrit iam factus archiepiscopus *Moguntinus*. SERARIUS (L. V. rer. *Mogunt.*) annum 977. ponit; id vero quo præcise factum sit anno, non constare fatetur in notis *Georg. Christ.* IOANNIS, citat tamen (p. 450.) tabulas anni 974. in quibus archiepiscopus dicitur. In monumentis *Boicis* (Vol. I. p. 355.) iam anno 973. chartam EGILBERTUS cancellarius vice WILLIGISI archicapellani recognovisse scribitur.

nologiam adhibuiſſe filium poſt mortem in patris actorumque ab eo fidem & reverentiam facile largiuntur. In chartis vero vivente quidem ſed abſente patre chronologiam patris adhibere potuit, ut tamen in ſubſcriptione præſentibus cancellariis, & capellanis uteretur: quo officio WILIGISUM dudum antequam archiepiſcopus *Moguntinus* factus eſſet, functum conſtat apud omnes: cuius adeoque præſentis opera uti potuit OTTO II. ceu archicapellani a ſe deſtinati, perinde ac HILDEBOLDI poſtea in locum ANNONIS fratris ſui ad epiſcopatum *Wormatienſem* aſſumti. Qua de re, quidquid ſit, certus & exploratus eſt canon,
a atque obſervatio facta a Rev.mo BESELIO a) qui in re diplomatica *Germaniæ* ex inſtituto ſummo ſtudio, diligentia ac labore indefeſſo verſatus, *Ottonianam* maxime epocham excoluit: id vero deprehendit OTTONE II. ad regimen & imperium cum patre aſſumto familiare eſſe in OTTONIS magni diplomatibus, ut eiusdem regni anni numerentur, cum e contrario in OTTONIS II. privilegiis anni imperii OTTONIS M. aſſignentur. Quod cum pluribus exemplis demonſtraſſet, addit item alia nonnulla atque ex multis pauca diplomatum, quorum chronologia & annorum & regni ſeries manifeſte vitioſa eſt: auctores inſuper, qui illa adducunt, notat, erroresque corrigit in OTTONE I. apud MADERUM, HEINECCIUM, HEDAM, MIRÆUM, aliosque. Citatis porro variis, ut diximus, OTTONIS II. diplomatibus, quæ circa notas chronologicas vitio laborant, corrigit inde MARIANUM *Scotum*, recenſens diplomata *Gernrodenſe*, *Zylleſianum*, *Leuberianum*, *Hundiana*, *Leuckfeldianum*, *Eccardinum*, *Emmeramenſe*, *Ughellianum*, aliaque. Cuiusmodi cum obvia ſint diligenter in ſtudio hoc antiquario verſantibus, ambiguitatem non mo-

a) Chron. *Gottwic.* T. I. lib. II c. 3. p. 190.

movent, si nihil præterea subsit dubii, nec aliud falsitatis argumentum. SCHANNATUS contra ECCARDUM in vindiciis archivi *Fuldensis* hac de re disputans a): *Si chartæ*, inquit, *quælibet* a
tam publicæ quam privatæ, quoties chronicas illorum OTTONUM *notas vitiose referunt, abiiciendæ forent ut spuriæ, quantam non respublica litteraria pateretur stragem?* Adnotat deinde, tam in *Italia* quam *Germania* annos OTTONUM a notariis ipsis subinde perperam fuisse numeratos: imo inter seculi nostri viros eruditos *Ern.* KETTNERUM, postquam pro concinnanda sua *Quedlinburgensi* historia universum loci tabularium perlustrasset, ingenue fassum esse, sese in conciliandis OTTONUM annis, præsertim cum indictionibus, frustra desudasse; nec feliciorem operam posuisse SAGITTARIUM & BECKMANNUM, quamquam *Magdeburgense, Gerodense, Gandersheimense*, aliaque per *Saxoniam* celebriora tabularia ab ipsis excussa, eos hac in re ut plurimum erudire poterant. Singillatim vero de BRUNONE OTTONIS I. cancellario agens, *Profecto*, ait, *si quæ passim extant ab eodem* BRUNONE *recognita diplomata, ob vitiatas notas chronicas reiiciantur ut spuria, ex multis paucissima nobis remanebunt super.* Cum vero haud raro chronologia OTTONUM inter se mutuo confusa deprehendatur in diplomatibus, nemo offendetur, mirabiturque, si etiam OTTONIS II. imprimis membranæ eius non respondeant epochæ, limaque egeant ac emendatione. b) b

a) Pag. 25.

b) Dolendum plane, siquidem antiquis temporibus temere insciteque eiusmodi correctiones deprehenduntur, inscitia potius quam dolo factæ, neque id a monachis tantum. Imo vero, si locus hic esset, in promtu foret ostendere, correctiones huiusmodi in instrumento optimæ cætera fidei, & cui reliqua omnia genuini atque authentici instrumenti criteria conveniunt, consulto publica auctoritate, ex falso quidem supposito, optimo tamen fine ad dirimendas terminandasque lites olim factas fuisse in augusto

a P. Mabillonius a) huius rei gratia, conſpirante alio quodam viro docto, de re diplomatica hanc inter alias ponit regulam & obſervationem: *nempe multas eſſe chartas falſas, quarum notæ chronologicæ veræ ſunt; multas item veras, quarum notæ ſunt vitioſæ.* Regulam hanc ſuo quoque calculo probant au-
b ctores tractatus novi de re diplomatica b), eamque ponunt inter regulas generales de datis diplomatum, non ſolum de tranſſumtis, verum etiam originalibus chartis, quas eſſe genuinas & au-

quoque conſeſſu: id quod haud temere præſumi poteſt. Mabillonius (L. I. de re diplom. c. 7.) de chartis interpolatis agens „Si qua (inquit) in multis optimis falſa aut vitiata diplomata occurrunt, non continuo inſultandum aut „improperandum, tum quia id antiquis „temporibus, non noſtris tribuendum „eſt; tum quia collegia prope nulla, pauciſſimæ eccleſiæ aut familiæ immunes „ſunt ab hac labe, uti a mendacio nemo hominum." Idem in apologia S. Mauri obiectionem ſibimet facit ac ſolvit (T. I. annal. *Bened.* p. 647.) „Si „talis (ait) admittatur errorum corrigendorum licentia, vix ſupererit falſum aliquod monumentum, quod eiusmodi „indulgentia facile non poſſit pro vero „obtrudi, reſectis nempe aut mutatis, „quæ in eo occurrent, falſi indiciis: at„que adeo ruet una ex præcipuis critices regulis, qua ſuppoſititium eſſe deprehenditur aliquod opuſculum, cum „perſonæ in eo, loca aut chronologiæ „notæ occurrunt, quæ rebus narratis „non poſſunt adaptari. At ultro fatetemur, nemini licere pro ſuo cuius„que arbitrio, quæ in veteribus monumentis non ſibi ſatis cohærentia deprehenduntur, mutare, aut alias pro aliis perſonas, ſeu etiam chronologicas „notas ingerere, ut eis fides aliqua conciliетur. Verum contendimus, etiam in „authenticis & certioribus monumentis „quandoque errores irrepſiſſe aut ſcriptorum incogitantia, aut interpolatorum ſeu amanuenſium vitio, aut certe „alia quavis occaſione intruſos, qui tamen errores omnem eorum non elevant auctoritatem &c." Unde eodem auctore in opere de re diplomatica (lib. III. c. 6.) ubi rem ex profeſſo pertractat, unus aut alter defectus, modo eſſentialis non ſit, legitimis autographis obeſſe non debet: *cum in ſinceris*, inquit, *diplomatibus nonnullis, quæ vidimus, quidam occurrant eiusmodi leviores defectus*; illi nimirum, qui eſſentiales non ſunt, nec ad rei ſubſtantiam pertinent; quales utique notæ chronologicæ a nemine non agnoſcuntur, in quibus porro facillimus eſt lapſus.

a) L. c. lib. III. c. 1. n. 10. p. 221.

b) T. VI. P. VIII. S. I. c. 8. p. 391.

authenticas dubio nulli locus eſt, vitiis tamen in chronologia haud eſſe exemtas, ignorantiæ, inadvertentiæ aut præiudicio notariorum adſcribendis: neque errorem in datis originalium ſufficientem cauſam eſſe ſuſpecta illa reddendi. Quam in rem præter citatum MABILLONIUM ad alios etiam provocant, atque ad ea, quæ ipſi in eodem opere iam præoccupaverant a), a
ex quibus aliqua ſupra iam data occaſione attulimus. Hæc autem ad defenſionem diplomatis *Oeningani* genuini cætera, & ad annum aliquem, quo HILDEBOLDUS cancellarius cum WILLIGISO archicancellario concurrit, referendi, dicere omnino interfuit ad præſens argumentum, quod locum confirment chronici *Weingartenſis*, ex quo familia comitum de *Rhinfelden*, adeoque RUDOLPHI noſtri maternam ex OTTONIS M. proſapia originem iam comprobatum imus.

XII. Monachus igitur *Weingartenſis* quatuor filiis CUNONIS comitis de *Oeningen* etiam in vindicato mox diplomate recenſitis totidem adiungit filias: *quarum*, inquit b) de RUDOLPHO fratre S. CONRADI agens, ad cuius ep. etiam petitionem datum eſt allegatum diploma, *una* RUDOLPHO *iſti*, *alia cuidam de Rinvelden parenti Haringorum* (Zaringorum), *tertia regi Rugiorum*, *quarta comiti de Diebon nupſit*. Et mox initio iisdem, quibus abbas *Urſpergenſis*, verbis ait: RUDOLPHUS *frater ſuperiorum accepit uxorem de Oninge* ITAM *nomine*, *cuius pater* COUNO *nobiliſſimus comes*; *mater vero eius filia* OTTONIS *magni*, RICHLUIT (RICHLINT) *nomine*. Iam hic BUCELINUS in hiſtoria *Agilolfingica* errorem huius anonymi deprehendit c) c
eius-

Deducitur ſtirps RUDOLPHI materna.

b

a) T. VI. p. 262. ſeq. 173. & T. V. p. 707. &c.

b) Apud LEIBNIT. Script. rer. *Brunſv.* T. I. p. 783.

c) pag. 379.

eiusque præter alias a se alibi notatas hanc probabilem reddit causam: *quod, ut sæpe contingit, ad calculos annorum minus respiciens, duos pro uno habuerit, & quæ duobus assignanda, uni tribuerit. Docet tamen temporis ratio, ipsiusque historiæ, nec non diversorum scriptorum fides atque auctoritas, duos* RUDOLPHOS *eiusdem familiæ fuisse.* Confirmat opinionem hanc P.
a *Gerardus* HESS Monum. *Guelf.* p. 79. &c. a)

Ab

a) Iam BUCELINUS notaverat, RUDOLPHUM hunc triginta & aliquot annos mortem fratris sui S. CONRADI antevertisse: „ut facile animadvertas, (addit), „quantum hallucinentur, qui magni OTTONIS neptim huic coniugem assignant, „cum avus ITÆ illius an. 973. decesserit, „maritus hic falso assignatus anno 940. „Fuit proin RUDOLPHUS hic diversissimus, duplicique generationis gradu anterior illo, quocum ITA fuit desponsata: avus scilicet RUDOLPHI II. seu iunioris."

Esset hæc expedita ratio ac via, alterum quoque resolvendi nodum, quo se anonymus *Weingartensis* innectit, dum ITÆ huius de *Oeningen* ex RUDOLPHO filium facit GUELFONEM II. de quo n. 5. & 6. (L. c. p. 783.) agit, eumque *ad senectutem* pervenisse testatur, qui ex hac vita ante annum 1036. decessit, quo uxor eius IRMINGARDA seu IROMIZA ab HERMANNO *Contracto* vidua dicitur. BUCELINUS cum certis argumentis comperisset, IRMENTRUDEM, IMONISSAM, seu MIZZAM corruptione nomenclaturæ vernaculæ unam eamdemque esse ducissam de *Glisberg*, & S. CUNEGUNDÆ imperatricis sororem, ab ea sententia discessit, qua GUELPHONEM medium inter duos RUDOLPHOS cum aliis statuerat, paullo post, dum in historia *Agilolf.* (Ib. p. 381.) de RUDOLPHO II. agit. At vero & altera difficultate animos *Weingartensium* etiamnum pulsari didici ex litteris R. P. *Gerardi* HESS, Prioris nunc *Weingartensis*, responsoriis ad meam percontationem, num forte quidquam in monumentis *Weingartensibus* suppetat, quo sese ad dispellendas hasce tenebras extricare liceat. Ad id vero hoc solum relatum accepi, RUDOLPHI fratris S. CONRADI diem emortualem in antiquo *Weingartensi* necrologio VI. Id. *Martii* adnotatum esse. Alius porro *Rudolfus de Altorf* III. Id. *Mart.* eodem calamo insertus est; sed quia nomen comitis haud præfefert, nihil certi statui potest, donec lux aliunde accedat, illustreturque necrologium istud: cui ex una gente *Guelphica* duo & viginti curatissime eadem manu inscripti sunt. Adest præterea eiusdem scriptoris manu exarata arbor genealogica illius stirpis, imaginibus adornata, quas circum nomina, & quæ alia personis singulis propria sunt, adscripta conspiciuntur, ac suapte fere compendium quoddam historiæ *Guelphicæ* haberi possunt.

Ab eiusdem solertia sperare licet opem ad explendum hiatum illum in genealogia *Guelphica*, quippe eadem obseptam difficultate ex confusione RUDOLPHORUM apud anonymum *Weingartensem*, qua laborat *Lotharingo-Habsburgica Murensis*, cui *Rhenofeldensium* comitum prosapia innectitur. In hac tamen, in amplo illo campo non unius dumtaxat stirpis arborisque genealogicæ in tot diversosque adeo ramos protensæ, hinc per GUNTRAMNOS, LANCELINOS, RADEBOTONES, WERNHARIOS, illinc per THEODORICOS, GERARDOS, CUNONES, pluresque, eos haud raro cognomines, maior adhuc menti caligo obfunditur, quam in *Guelphica* genealogia: quæ cum a præsenti hac nostra tractatione sit aliena, curiosum lectorem ad mox laudatum P. *Gerardum* HESS, tum etiam origines *Guelphicas* remitto a). Ibi vero, præterquam quod RUDOLPHUS S. CONRADI frater iam anno 940. obierit, aliud quoque dubium movetur ex eo, quod CONRADUS dux filiam OTTONIS, quæ una nata est ex priore cum EDITHA coniugio, an. 947. in sponsam sibi sumserit, & demum an. 949. domum duxerit, quæve non RICHLUIT, sed LUITGARDIS vocabatur. a

ITHÆ RUDOLPHI uxoris obitum, eoquod ECCARDUS *San-Gallensis* iunior, qui eo tempore floruit, illam se vidisse testetur, ad an. 1020. referunt CRUSIUS & AVENTINUS, quibus adstipulatur originum *Guelphicarum* auctor *Io. Georgius* ab ECCART, statuitque, eam non fratri S. CONRADI, sed eius nepoti nuptam fuisse. RICHLUIT porro, RICHLINT, seu RICH-

LIN-

E regione grandiore figura depictus assidet FRIDERICUS *Barbarossa* imp. assistentibus ad utrumque latus duobus filiis natu maximis FRIDERICO & HENRICO, cum inscriptione :
In medio prolis sedet pater imperialis.

a) T. II. L. V. c. 6. &c. p. 204. &c.

LINDAM, ut abbas *Urspergensis* vocat, potius natam fuisse existimat OTTONE *Sueviæ* vel *Bavariæ* duce an. 982. defuncto;
a GRUBERUS tamen in nota a) eam potuisse esse filiam natura-
b lem putat, cum in numero legitimarum non reperiatur. b)

HENNINGESIUS agnoscit quidem in theatro genealogico RICHILDEM OTTONIS M. filiam CUNONIS *Oeningani* uxorem, sed ei unum RUDOLPHUM filium *Oeningæ* comitem tribuit, ex tribus vero filiabus CUNIGUNDAM uxorem facit FRIDERICI comi-

a) Loc. cit. p. 216.

b) Constat vero, OTTONI I. imp. ex matre, quæ DITMARO & WITIKINDO *Saxoni* (LEIBNIT. T. I. p. 338. & 661. It. MEIBOM. T. I. p. 702. conf. *Georg. Christ.* IOANNIS Script. rer. *Mogunt.* T. I. p. 433.) dicitur captiva quidem, nobilis tamen & *Sclavonica*, genitum fuisse WILHELMUM filium, archiepiscopum postea *Moguntinum*: id quod continuator REGINONIS apud PISTORIUM (T. I. p. 102.) ad annum 928. refert, perperam, ut videtur: cum OTTO anno primum 912. natus esse perhibeatur. VITUS Prior *Eberspergensis* in chronico *Bavariæ* (Apud OEFEL. Script. rer. *Boic.* T. I. p. 711.) c. 18. de OTTONE I. & eius obitu: „adhuc (inquit) duos filios habuit & unicam filiam, quos plures historici omittunt vel potius ignorant. Quorum primus WILHELMUS vocabatur, postea episcopus *Moguntinus*; alter vero RUDOLPHUS dux *Saxoniæ*, filia quoque RICHLINDIS vocabatur." De qua iterum cap. 20. *Et hæc habuit in maritum* CHUNONEM *comitem potentissimum*, scilicet maternum RUDOLPHI nostri iuxta HENNINGESIUM in theatro genealogico proavum; gradus enim vel nomen haud exprimit *Weingartensis* monachus, sed alteram ex RICHLUIT seu RICHLINDE, ut in allato diplomate appellatur, cuidam de *Rhinfelden* nuptui datam testatur; tertiam regi *Rugiorum*, *Russorum* forte, ut LEIBNITIUS adnotat, aut, ut ego puto, *Rugiæ* insulæ *Pomeraniæ*. Quarta demum eodem anonymo teste nuptui elocata est comiti de *Diebon*, seu ex coniectura LEIBNITII DACHAU, qui quidem (*Ios.* RESCHIUS in ætate millenaria ecclesiæ *Aguntinæ* p. 131.) a castro huius nominis ad *Ambram* fluvium in *Bavaria* superiore sito nuncupati, originem referunt ad OTTONEM I. comitem de *Scheuren* & *Wittelspach*. Dum vero in Msc. *Weingartensi*, *Augiensi* & *San-Blasiano* trecentorum circiter annorum, in eodem monachi *Weingartensis* loco *de Diezon* pro *de Diebon* lego, quartam CUNONIS filiam potius cuidam de *Diessen* locatam infra videbimus, cum vel ipsa forma antiquæ litteræ z. parum a littera *b.* diversa dubitare haud sinat, errore *Amanuensis* eam nominis mutationem esse factam.

comitis de *Andechs*, de qua poſtea; ITAM uxorem RUDOLPHI ducis *Bavariæ*, imo, ut diximus, cognominis *Welfi Suevi.* Primo loco ponit RICHENZAM vel RICHLINDAM uxorem primo CAROLI *Salmenſis* in *Lotharingia*, dein THEODERICI comitis *Habsburgici*, qui ex dote uxoris conſtruxerit *Rhenofeldam*, ut ſupra memoravi; putoque arcem vulgo *Burgſtell*, temporis ſucceſſu egregie munitam, ac noſtra demum ætate a *Gallis* deſtructam, intelligi, unde comites *Rhenofeldenſes* dicti ſint. Ex hoc autem coniugio præter CUNONEM, ULRICUM quoque comitem *Rhenofeldenſem* nominat, de quo tamen me quidquam legiſſe haud memini.

HENNINGESII opinionem haud pridem adhuc STRAUSSIUS in diſſ. de RUDOLPHO noſtro amplexus eſt, RICHENZAM ſcilicet ſeu RICHWARAM primum CAROLO *Salmenſi* nupſiſſe ſecundisque votis THEODERICO *Habsburgico.* Enimvero peregrinum eſt THEODERICI nomen in *Auguſta* gente comitum de *Habsburg:* caſtrum quoque hoc a WERNERO I. epiſc. *Argentoratenſi*, de quo paullo ante, extructum, recentius eſt ætate RICHWARÆ: quare etiam illa a STUMPFIO in chron. p. 689. CUNONIS II. uxor dicitur, mater per ætatem haud inconvenienter, ſi cætera congruerent, quæ de ea anonymus *Weingartenſis* affert: nupſiſſe eam *cuidam de Rhinfelden parenti Zaringorum.*

Qua de re niſi dicere velimus anonymum hunc ſcriptorem ſec. XII. (quo tempore iam *Zaringi* ex hæreditate paterna AGNETIS filiæ RUDOLPHI noſtri ditione *Rheinfeldenſi* ſunt potiti) ſcripſiſſe *cuidam de Rhinfelden*, preſſe inhærendo litteræ tenendum eſt, ex maioribus comitum de *Rhinfelden*, cuidam parenti *Zaringorum* obtigiſſe filiam comitis *Oeningani* OTTONIS M. neptem RICH-

WARAM: Quo nomine quidem in rotulo ſec. XII. monaſterii *S. Petri* in *Nigra ſilva* notatur *Dux* BERTHOLDUS *primus cum thori ſui conſorte domina* RICHWARA, quam eidem primam ante BEATRICEM uxorem tribuit SCHOEPFLINUS incerti ſtemmatis. Nec vero per ætatem RICHWARA *Oeningana* uxor eſſe potuit BERTOLDI huius RUDOLPHO noſtro coætanei: cui cæterum parentis *Zaringorum* axioma tribuitur, non patri eius BERTOLDO *Brisgoiæ* comiti, cuius ætati vicus ſaltem *Zaringen* (cum caſtri necdum certa ſit origo, a quibusdam BERTHOLDO II. RUDOLPHI genero adſcripta) convenit, conveniretque etiam BERTHOLDO comiti ætas RICHWARÆ, ſed nullum matrimonii huius veſtigium diligentiſſimus SCHOEPFLINUS in hiſtoria *Zaringo-Badenſi* reliquit; nec ad eamdem ætatem parentelæ cuiusdam *Zaringorum* cum *Rhenofeldenſibus* comitibus vel dynaſtis dedit teſtimonium; avum tamen ut ſupra notavimus RUDOLPHI noſtri in CUNONE quodam coniectatus comite *Mortenaviæ* pagi, *Brisgoiæ Zaringorum* ſedi, contermini; ut adeo facilis eſſe potuerit, nexus ille ab anonymo *Weingartenſi* notatus in marito filiæ CUNONIS Oeningani *cuidam de Rhinfelden Zaringorum*, quocumque demum ſenſu parenti, nuptæ.

A primo autem ad ultimum ex verbis anonymi *Weingartenſis*, prout iacent, coniici, conficique poſſe videtur; eum, cum ſec. XII. quo vixit, præ oculis haberet BERTOLDOS, CONRADOS, RUDOLPHOS &c. BERTOLDI II. ducis *Zaringenſis* filios & nepotes ex AGNETE de *Rhinfelden;* nec haberet ſufficientem huius familiæ iam ſec. XI. extinctæ notitiam, ſcripſiſſe filiam CUNONIS comitis de *Oeningen* nuptam *cuidam de Rhinfelden*, qui innominatus, CUNO per ætatem eſſe potuit pater RUDOLPHI,

cuius

cuius gener erat BERTOLDUS II. de *Zaringen*, qui castri *Zaringen* conditor habetur, quod deinceps *Zaringis* nomen dedit familiæ nimirum descendentis ex progenie AGNETIS, filiæ RUDOLPHI, ac neptis CUNONIS, qui sic quodammodo per neptem parens *Zaringorum* dici potuit, improprie quidem, sed ut sic ab anonymo per errorem facti appellaretur, nonnisi confusam de hac familia scientiam habente, ut verba, *cuidam de Rhinfelden* produnt.

XIII. Qui vero ab aliis RUDOLPHI frater BERTOLDUS *Palatinus* venditatur, atque URSTISIUS quoad hunc ad monumenta monasterii *S. Petri* in *Silva nigra* provocat, ad BERTHOLDUM potius *Zaringensem* pertinere mihi videtur. Unicus apud veteres occurit RUDOLPHI nostri *Rhinfeldensis* frater ADELBERO seu ADELBERTUS, de quo chronicon *Augustanum* apud FREHERUM a) ad annum 1070. ADELBERO *Wormatiensis episcopus moritur*, ADALBERT *successit*. Et ad an. 1078. ADALBERTUS *episcopus Wormatiensis comes de Rheinfelden captus & in custodiam missus est*. Utut vero ADALRERONEM & ADELBERTUM sio distinxerit anonymus chronici auctor, utriusque tamen familiam haud satis distinxisse videtur, & posteriori *Rheinfeldensem* originem tribuisse, quæ competit primo. LAMBERTUS certe *Schaffnaburgensis* apud PISTORIUM b) ADELBRRONEM seu ADELBERTUM I. *Wormatiensem* episcopum fratrem RUDOLPHI ducis *Suevorum* adpellat, cui ad an. 1070. ADALBERTUS in sede illa successerit. TRITHEMIUS c) ad an. 1071. quo ADELBERONIS obitum consignat, illum pariter fratrem, FRIDERICI de *Rheinfelden* ducis *Suevorum* facit, cui successerit

RUDOLPHI frater, aut patruus.

a

b

c

in

a) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 349.
b) Script. rer. *Germ.* T. I. p. 335. & 343.
c) Chron. *Hirsaug.* T. I. p. 231.

in pontificatu ADELBERTUS, *qui*, addit, *contra* HEINRICUM (IV.) *regem cum Saxonibus consentiens, tandem ab eo de sede sua pulsus est.* Lapsus vero hic est TRITHEMIUS in nomine FRIDERICI; a-
a perte enim ad an. 1064. a) fratrem illum *ducis Suevorum* RUDOLPHI *de Rheinfelden* appellat. Idipsum faciunt *Galliæ christianæ*
b c auctores b), & SCHANNATUS c), qui tamen ADELBERONI RUDOLPHI fratri iam anno 1068. successisse putat ADELBERTUM, de quo loquitur chronicon *Augustanum*, de cuius tamen prosapia *Rheinfeldensi* altum apud alios est silentium. Ansam fors opinioni huic præbuerit fervens huius ADELBERTI *Wormatiensis* pro RUDOLPHO in anticæsarem eligendo studium, communisque cum eo ob HENRICUM IV. calamitas; at eum *Rheinfeldensium* familiæ simul cum suo antecessore ADELBERONE, adscribendum esse ratio nulla, nullum antiquorum testimonium suadet, nisi duos cognomines fere ADELBERONEM scilicet & ADELBERTUM, eidem tribuere velimus patruos potius quam fratres: prout certe in sæpe laudata charta *Bosonisvill.* in sobole GISELÆ distinctim legimus ADELBERTUM & ADELBERONEM CUNONIS de *Rhinfelden*, qui RUDOLPHI pater fuit, fratres uterinos vel germanos.

RUDOLPHI UXORES. XIV. Plures fuisse RUDOLPHO uxores, non unam MATHILDAM, quæ ei an. 1059. obtigit, mox anno sequenti mortua, extra dubium ponunt filii filiæque, quas nuptui datas paullo post ostendemus. Supra intelleximus, a THEODERICO *Virdunensi* RUDOLPHI id crimini datum, quod tres uxores aperte solemni nuptiarum apparatu duxerit, eodem simul tempore viventes. Unde sunt, qui suspicentur, quod RUDOLPHUS uxorem, quam ante

a) L. c. p. 209. b) T. V. p. 670. c) Hist. *Wormat.* T. I. p. 340.

ante MATHILDEM filiam HENRICI III. ſororemque HENRICI IV. habuit (rapta poſt mortem patris HENRICI hac MATHILDE ei nupta) repudiarit. Verum calumnia hæc eſt; nec raptum etiam dolo factum fuiſſe annaliſta *Saxo* & abbas *Urſpergenſis* ad an. 1057. pro certo habent, his uſi verbis: *ſed quia prædictus* RUDOLPHUS *mox poſt imperatoris* (HENRICI III.) *obitum, filiam eius*, RUMOLDO *Conſtantienſi epiſcopo commendatam, utrum conſilio raptam an dolo neſcitur, uxorem duxit, receptam in gratiam eumdem ducatum illi cauſa filiæ imperatrix dedit.* Falſo autem hoc ſuppoſito, quod una hæc MATHILDA ſoror regis HENRICI IV. uxor RUDOLPHO obtigerit, falluntur plerique noviſſimi etiam rerum *Hungaricarum* ſcriptores, ob ADELHEIDEM reginam *Hungariæ*, quam BERTHOLDUS *Conſtantienſis*, ſeu qui idem eſt, BERNOLDUS presbyter *S. Blaſii* ſcriptor coævus, unaque BERTHOLDUM filium RUDOLPHI uno eodemque anno 1090. obiiſſe narrat. Quod ipſum quidem abſolute non implicat, ſi frater & ſoror gemelli uno partu editi an. 1060. uno etiam anno 1090. defuncti dicerentur. Sed raro hoc caſu ac perfugio opus haud eſt, ſiquidem conſtet, non unam MATHILDAM RUDOLPHO fuiſſe uxorem.

HENNINGESIUS in theatro geneal. tres ei uxores adſcribit, primam ADELHEIDEM filiam OTTONIS marchionis *Italiæ*, ſororem BERTHÆ uxoris HENRICI IV. imp. mortuam, cum eſſet conſtitutus advocatus imperii. Secundam perperam AGNETEM vocat, MATHILDAM ſcilicet iam laudatam: tertiam denique ADELHEIDEM, filiam GUILIELMI (al. REGINALDI) *Burgundiæ* comitis ex comitiſſa *Vroburgenſi*, ſororem BEATRICIS imperatricis germanam, quæ ob mariti cladem animi mœrore conta-

 buerit

buerit. Quid in hac recenſione præpoſterum ſit, poſtea videbi-
a mus. Hanc opinionem ſequitur *Lud.* GOLLUT a), puram putam cum apertis erroribus. Cl. SCHEIDE tamen, editor illuſtratorque originum *Guelphicarum* ECCARDI cum notis GRUBERI, forte
b aliquid veri huic opinioni ſubeſſe poſſe putat b) de primo coniugio cum ADELHEIDE *Burgunda*, quam ob propinquitatem ſanguinis poſtea repudiarit. Sed HENNINGESIUS & GOLLUTUS tertiam demum uxorem *Burgundam* faciunt. SCHEIDIUS cum in
c *Simonis* SCHARDII ex *Aventino* deductis tabulis genealogicis c) præcipuarum familiarum *Bavar.* comitem RUDOLPHUM de *Rheinfelden* repererit cum uxore BERTHA filia OTTONIS comitis de *Sulzbach* &c. quæ quoad ætatem potuiſſet eſſe prima RUDOLPHI noſtri uxor, nihil tamen audet decernere, quod opinio firmamentis deſtituatur: idem tenendum de coniugio primo cum ADELHEIDE *Burgundica*, ſola quadam ſuſpicione innixo. GUI-
d CHENONIO d) hæc opinio improbabilis videtur, ob nimis propinquam ſanguinis coniunctionem, qua poſtea AGNES BERTOLDI *Zaringenſis* filia, ex matre cognomine RUDOLPHI filia, matrimonio iuncta fuit STEPHANO memorati GUILIELMI filio: putatque, e) uxorem ADELHEIDEM, ex qua prolem ſuſcepit ex *Sabaudica* ſtirpe ortam fuiſſe.

Ex quibus ADELHEIDIS apud *D. Blaſii* ſepulta.

XV. Perperam autem cum HENNINGESIO ADELHEIDEM hanc primam RUDOLPHI uxorem ſtatuit, ONUPHRIUM item & CUSPINIANUM citans, quos alii ſecuti ADELHEIDEM poſteriorem RUDOLPHI coniugem, ex qua liberos reliquit, rectius filiam ODONIS marchionis *Italiæ*, ſororem BERTHÆ imperatri-

a) Memoires hiſt. de la republique *Sequanoiſe* p. 330.
b) *Hannov. Beyträge* a. 1760. p. 1221.
c) Tab. XXI.
d) Hiſt. geneal. de la Royale maiſon de *Savoye* p. 207.
e) Ib. p. 206.

tricis, faciunt. ODDO hic ultimus matrimonio iunctus fuit ADELHEIDI marchionissæ de *Susa*, & *Italiæ*, filiæ *Udalrici* MANFREDI marchionis *Italiæ*. Unde etiam titulum gessit de *Susa*, qui verisimiliter in SCHARDII tabulis geneal. ex *Aventino* locum dedit, ut uxor RUDOLPHI filia comitis de *Sulzbach* diceretur, cum sorore BERTHA insuper confusa. Idem porro ODDO nomen ducis seu comitis *Taurinensis* adoptavit. In necrologio BERNOLDI nostri de *S. Blasio*, seu BERTHOLDI *Constantiensis* diœcesis presbyteri a) legitur ad XIIII. Kal. Ian. *Adelheida Taurinensis comitissa obit;* iisdemque verbis in appendice ad chronicon HERMANNI *Contracti* anno demum 1091. idem obitus consignatur. Id tamen de cognomine ADELHEIDIS nostræ matre intelligendum est, dudum post filiam ærumnis confectam mortua. In vita S. ANSELMI *Lucensis* episcopi apud GRETSERUM b), ubi interventus GREGORII VII. & HENRICI IV. in oppido *Canusio* narratur, recensetur cum *præsentibus episcopis & abbatibus*, *atque comitissa* MATHILDA, & ADELETIA, id est ADELHEIDA comitissa, ut ad marginem notatur.

Narrat BERNOLDUS, seu BERTHOLDUS mox citatus ad an. 1092. CONRADUM HEINRICI imp. filium invasisse bona ADELHEIDÆ *Taurinensis* comitissæ, quæ eiusdem comitissæ nepos, filius FRIDERICI comitis, habere debuerat. Non erat FRIDERICUS ex filiis ADELHEIDIS, qui tres nominantur apud DACHERIUM c) in charta *de moneta Viennensi corrupta*, PETRUS, AMADEUS & OTTO; sed mox in eadem HERMANNI appendice notatur filius dominæ SOPHIÆ & LUDOVICI comitis, *quæ erat* ma-

a) Apud OEFEL. Script. rer. *Boic.* T. I p. 653.
b) T. VI. opp. p. 472.
c) Spicil. T. III. p. 393.

matertera comitissæ MACHTILDIS, *quæ cum domino suo* WELPHONE *duce in Italia contra schismaticos multum laboravit. Obiit autem prædictus comes in præterito anno, id est, dominicæ incarnationis* 1091. *indict. XIII. tertio Kal. Iulias in festo S. Petri, & in crastinum, id est, in solemnitate S. Pauli sepelitur. Huius ergo filium ex nepte dominæ* ADELHEIDÆ *susceptum*, HEINRICUS *rex cum filio exheredare proposuit, terramque eius hostiliter invadendo, ac circumquaque devastando, etiam Fructuariensi monasterio multa mala intulit.* Ansam haud dubie arripuit HENRICUS a BERTHA uxore sua, filia, ut iam observavimus, ADELHEIDIS marchionissæ de *Susa*, filiæ MANFREDI marchionis *Italiæ*, quem impense laudat S. PETRUS *Damiani de eleemosyna*
a opusc. IX. a) eiusque uxoris piam liberalitatem. Locus exscribi meretur, quippe qui lucem rebus nostris afferat. *Cum itaque*, inquit, *tam largus ad erogandas indigentibus stipes extiterit, cum sex sive septem, si rite teneo, non minima monasteria in proprii iuris possessione condiderit, prædiis & ornamentis munifica liberalitate ditaverit, numquid propterea sibi progenies egena succedit? Absit. Videmus enim nepotes eius, mirandæ scilicet indolis pueros, maximam partem etiam regni Burgundiæ possidere: quorum insuper soror imperatori nostro sponsali cogno-*
b *scitur iure dotata.* b)

Palam

a) Opp. T. III. p. 89. &c.

b) BERTHAM hic indigitat HENRICI IV. uxorem, eiusque tres, quos nominavimus PETRUM, AMADEUM & OTTONEM fratres filios ADELHEIDIS, quæ perperam dicitur primum HERIMANNO duci *Sueviæ* nupta, AMADÆO I. potius obtigerat *Sabaudiæ* comiti patre HUMBERTO, avo BEROLDO *Sabaudiæ* comitum stipite. AMADÆO circa medium sec. XI. mortuo ADELHEIDIS secundis nuptiis ODDONI marchioni concesserat. De quo primus HERMANNI *Contracti* continuator. (BERTOLDUS *Augiensis*, ut coniicio, HERMANNI discipulus) apud URSTISIUM ad an. 1055. „Imperator (HEINRICUS III.) de

Palam autem fit ex verbis S. PETRI *Damiani* iam citatis, quæ caufa fuerit, cur ADELHAIS a nonnullis *Burgunda* natione fit habita; & manifeftius adhuc redditur ex ipfo eiusdem B. PETRI *Damiani* opufculo XVIII. *ad* ADELAIDEM *Subalpinorum ducisſam*, ut habet infcriptio: quem nimirum ducatum tenuit poft mortem ODDONIS mariti, *in tua*, inquit, *ditione*, *quæ in duorum regnorum*, *Italiæ fcilicet & Burgundiæ*, *porrigitur non breve confinium.* a)

„*Italia* per *Boiariam* rediens, natalem „Domini apud caftrum *Thuregum* celebravit, ibique OTHONIS marchionis filiam æquivoco fuo filio defponfavit." BERTHÆ huic avia cognominis fuiffe dicitur, nupta ODELRICO feu MEGINFREDO marchioni *Segufienfi*: in cuius genus ftudiofe MURATORIUS in Antiquitatibus *Eftenfibus* indagavit, quem in Originibus *Guelphicis* fecutus eft ECCARDUS (T. I. p. 205. Lib. II. c. 9.) notatus a SCHEIDIO, quod OTTBERTUM II. *Tufciæ* marchionem confuderit cum AUBERTO marchione, patre BERTHÆ, prout leguntur (Ib. p. 372.) in fundatione abbatiæ *Caramaniæ*, quæ affertur ex *Fr. Auguftini ab ecclefia* hiftoria *Pedemontana*. At recte ECCARDUS l. c. ADELHEIDEM BERTHÆ matrem OTTONI marchioni fecundis votis nuptam tribuit. Apud UGHELLUM (T. IV. *Ital. S.* p. 358.) inter epifcopos *Aftenfes* OTTO III. occurrit ADELHEIDIS comitiffæ ex OTTONE marchione filius, cuius gratia ADELHAIS mater cum nuru fua AGNETE ecclefiæ *Aftenfi* varia bona contulit, ficut actum fuerat inter dominum PETRUM marchionem & epifcopum INGONEM, vivente adhuc AGNETE matre HENRICI IV. cuius uxor fuit BERTHA, OTTONIS epifcopi *Aftenfis* foror, fimulque ADELHAIDIS RUDOLPHO HENRICI æmulo nupta. Hanc qui a matre cognomine non diftinxerunt, in errorem abducti funt, ut matrem ADELHAIDEM uxorem OTTONIS dicerent fororem BERTHÆ uxoris HENRICI IV. cum tamen ex coævo fcriptore, continuatore fcilicet HERMANNI mox citato, conftet, HENRICUM III. filio fuo cognomini defponfaffe filiam OTHONIS marchionis, qui fuit ADELHAIDIS maritus: poft cuius mortem ADELHAIS ducatum accepit iam ante annum 1063. quo ad eam fcripfiffe B. PETRUM *Damiani*, annales *Camaldulenfes* (T. II. p. 289.) oftendunt.

a) Ill. B. de ZURLAUBEN certiorem me reddit, in manus fuas veniffe doctiffimi amici de RIVAZ defuncti lucubrationem Mfc. qua GUICHENONII fyftema de origine ducum *Sabaudiæ Saxonica*, quam iam MURATORIUS riferat, pariter explodit, afferitque *Burgundico-Alfaticam* eamdem, quæ iam a triumviris CALMETO, HERRGOTTO, SCHOEPFLINO integris volumi-

Quæ de patria ac ſtirpe ADELHEIDIS diximus, confirmantur ex illis, quæ continuator HERMANNI *Contracti* in codice *Murenſi*, olim *San-Blaſiano*, de ea refert, ac primo quidem ad an. 1077. quæ ſequuntur: *Uxor autem regis in partes Burgundiæ a Turego divertens, in quodam caſtello ſuo plurimas Burgundionum illic paſſura iniurias, plusquam annum dimidium morabatur. Quippe Baſilienſis, Lauſanenſis & Argentinus archiepiſcopi cum omnibus, quos ad ſe attraxerant, mox prædis, incendiis & omnimodis perſuaſionum & impugnationum preſſuris cuncta, quæ ad regem pertinebant, ſtudioſiſſime devaſtabant, quousque totam forme illam patriam ſibi regique ſuo ſubiiciebant; ſed non absque malo & detrimento ſuo, bis quippe a militibus regis* RUDOLPHI *victæ, cæſæ & fugatæ ſunt Burgundionum turmæ, quæ partes Alemannicas prædaturæ impetu hoſtili ſuperbiſſime invaſerant.* Quæ hic idem

nibus expoſita eſt, *Lotharingica*, *Habsburgica*, & *Zaringo-Badenſis*, communi ſtipite ETHICONE, qui obiit an. 690. relictis filiis ADELBERTO ſatore *Habsburgicorum*, & ETHICONE II. avo in gradu quinto EBERHARDI IV. comitis *Nordgaviæ* poſt medium ſec. X. habuitque inter alios filios ADELBERTUM ducem ac marchionem *Lotharingiæ*, a quo eſt auguſta domus *Lotharingica*, & HUGONEM II. comitem *Nordgaviæ* fundatorem abbatiæ *Altorfenſis* in *Alſatia* an. 974. comitum de *Egisheim* in *Alſatia* ſtirpem, avumque paternum S. LEONIS IX. P. e cuius fratre GERARDO deſcendere *Sabaudiæ* comites oſtendit laudatus auctor, dictos antea comites *Morienenſes*. Oſtendit porro, quam late GERARDUS, alias BERARDUS vel BEROLDUS, omnium conſenſu ſator comitum *Morienenſium*, ditiones ſuas in *Burgundia* cis-& trans-*Iurana* ſeu regno *Arelatenſi* ampliarit, ducta BERTHA filia GODEFRIDI ducis *Lotharingiæ* & comitis *Virdunenſis*, ac MATHILDIS, cuius pater CONRADUS *Burgundiæ* rex obiit an. 993. GERARDUS vero appellatus etiam *Burgundiæ* dux anno 1038. ſuſcepit ex BERTHA inter alios HUMBERTUM filium, *Alſatiæ*, primumque *Morienenſium* comitem. Huius filius ODDO marchio de *Suſa* & comes *Sabaudiæ* an. 1059. mortuus viduam reliquit ADELHAIDEM, quam ex B. PETRO *Damiani* celebravimus, matrem cognominis ADELHAIDIS, de qua nobis res eſt, uxore ſcilicet RUDOLPHI, apud *D. Blaſii* cum duobus filiis ſepulta, & duodecim annis ante matrem, uno ante maritum, ærumnis confecta.

idem auctor de episcopi *Basileensis* & *Argentinensis* studio partium *Henricianarum* narrat, retulimus in historia *Nigræ silvæ:* de episcopo *Lausannensi* testatur charta HENRICI IV. in eius gratiam data, quam edimus, annum quidem 1070. præseferentem, ut tamen restituendus sit annus 1079. ad quem etiam continuator noster HERMANNI *Contracti* omnia articulatim exponit, quæ extrema ADELHEIDIS attinent fata. *Anno* 1079. pergit, *uxor regis R. obiit nomine* ADELHEIDE *marchionissa, soror* BERTHÆ *reginæ uxoris H. ex quo ipse in Saxoniam intravit, in episcopatu Constantiensi, in Duello* (Duellio, Hohentwiel) *& in aliis castellis iuxta Rhenum qualitercumque conversata: egestate, mærore, variisque adversitatum calamitatibus confecta, demum ægritudinum mortaliumque febrium aliquamdiu confecta molestiis, disposita domo sua, & prout oportuit, animæ suæ salute omnimodo in Christo provisa, felici, o utinam! consummatione in manus illius devotissime moriens spiritum suum commendavit, & ad monasterium S. Blasii cum omnifario exequiali debito officiose satis sepeliebatur.*

Pariter ADELHAIDIS hæc ante maritum an. 1079. mortua, & in eodem *S. Blasii* monasterio sepulta legitur in chronico *Murensi* & *Engelbergensi* sec. XII. per *S. Blasii* monachum, B. FROWINUM nempe in abbatem *Engelbergensem* ex eremo nostra evocatum scripto, his verbis: *anno* 1079. ADELHEIT *uxor* RUDOLFI *regis obiit, & apud S. Blasium sepulta iacet.* Consentit his anonymus *San-Blasianus* sec. XIV. in libris constructionum monasterii *S. Blasii*, ut mox dicemus. OTTO item scriptor domesticus sec. XIIII. *anno* 1079. ADELHEIDA *uxor* RUDOLPHI *regis obiit, & in monasterio S. Blasii humata est.* Locum in

ſacello S. *Nicolai* deſignat CASPAR abbas huius monaſterii ſec. XVI. unde an. 1781. oſſa elevavimus, in crypta nova *Habsburgicis* cadaveribus merito ſocianda. De mauſolæo relictum eſt nihil, dum ſacellum hoc poſt illa ſecula novum e fundamentis ſurrexit, nec quidquam præter teſtudinem in muro ſuperfuit, ſub qua ADELHEIDIS & filiorum corpora latuerunt. Perhibet equidem GUILLIMANNUS a) ADELHEIDEM, cum per multas miſerias animique dolores vitam *Tiguri*, bellis undique ſtrepentibus, toleraſſet, indeque *Rheinfeldam* ſeſe recepiſſet, paucis menſibus mortuum maritum ſubſecutam eſſe, & apud *S. Blaſium*, regia tamen pompa, tumulatam, quemque adeo honorem vivens obtinere non potuerit, poſt mortem exoleta & extincta æmulatione ac invidia acceperit: ſed ſequi præſtat vetera iam citata monumenta. HENNINGESIUS omnia hic confundit, dum ſcribit, RUDOLPHI I. *Ergoviæ* & *Sundgoviæ* comitis, qui a. 1060. cœnobii in *Ottmarsheim* fundamenta iecerit, uxorem ADELHEIDEM comitiſſam a *Vroburg* cum marito ad *S. Blaſium* in *Sylva Nigra* fuiſſe ſepultam. Notandus denique GUICHENONIUS, qui RUDOLPHI filiam comiti *Sabaudiæ* elocatam celebrat, dum nos e contrario ADELHEIDEM ex comitiſſa *Taurinenſi* RUDOLPHO nuptam hucusque aſſeruerimus.

Cum duobus filiis BERTHOLDO & OTTONE.

XVI. Anonymus *San-Blaſianus conſtructionum liber* Mſc. de filia RUDOLPHI noſtri ADELHEIDA *Hungariæ* regina, exemplo progenitorum in *S. Blaſii* monaſterium benefica loquens, *nam*, inquit, *progenitores ſui locum iſtum prædiis ſuis, aliisque innumeris beneficiis dilataverunt, protexerunt auxiliando, auxerunt protegendo. Ex quibus mater eius poſt multas eleemoſynas iſti loco ſubminiſtratas, aliis poſthabitis nobiliſſimis locis, etiam hic cor-*

a) Lib. V. p. 229.

corporis ſui exuvias terræ mandari maluit. Cuius filius BERTHOLDUS *ſtrenuiſſimus dux, & ipſe ampliſſimis prædiis huic loco traditis, cum fratre ſuo,* OTTONE *nomine, elegit hic diem iudicii exſpectare.* BERTOLDUM & OTTONEM apud *S. Blaſium* ſepultos *iuxta avum* CUNONEM, nimirum RUDOLPHI patrem, de quo ſupra, paſſim aſſerere ſcriptores, l. cit. notavimus. BERTHOLDUS hic RUDOLPHI noſtri filius memoratur in charta an. 1076. qua per manum eius *Rueggisbergenſi* minoris *Burgundiæ* monaſterio donatio facta eſt. Utitur ea SCHOEPFLINUS a) a
diplomaque edidit b) contra novum ſchema genealogicum, quo b
WATTEWILLUS ex regibus *Burgundiæ Zaringos* deducere contendit. Apud LAMBERTUM *Schaffnaburg.* ad an. 1077. c) duo c
recenſentur BERTHOLDI, quorum alter *Zaringenſis*, alter hic noſter RUDOLPHI filius etiam SCHOEPFLINO notari viſus eſt. De OTTONE eius fratre non memini me quidquam legiſſe apud chronographos veteres, qui proſtant. Iam ſupra memoravimus diploma HEINRICI imp. datum an. 1125. in confirmationem donationis, quam monaſterio *S. Blaſii* fecerat *dux* RUDOLPHUS *de Rinfelden & comes* OTTO, *& filius eius* FRIDERICUS *comes,* ECHEBERTUS *comes de Saxonia & Birctorf,* TOUTO *de Wagenhuſen,* HEZELO *advocatus Augienſis quoddam prædium Slocſe pro remedio animarum ſuarum S. Blaſio & fratribus ibidem Deo in perpetuum famulantibus.* Quodſi hic OTTO filius RUDOLPHI cum FRIDERICO filio deſignari videatur, cur reticetur BERTHOLDUS OTTONIS frater? ambos porro ante patrem cœlibes deceſſiſſe ſcribit CUSPINIANUS in *Auſtriacis* d): HENNINGE- d

a) Hiſt. *Bad.* T. I. L. II. c. 6. §. 14.
b) T. V. n. 13. p. 22. &c.
c) PISTOR. Script. T. I. p. 423.
d) pag. 284.

a SIUS vero in theatro geneal. a) eos defuncto iam patre interemtos, & iuxta avum ad *S. Blasium* sepultos perhibet. De OTTONE non est, quod referam amplius. Filii RUDOLPHI meminit sermo GREGORII VII. P. in synodo *Romana* habitus an. 1080. legiturque in vita GREGORII a *Paulo Bernriedensi* apud MABIL-
b LONIUM b), in quo sic loquitur pontifex: *Semper ex toto tempore eumdem sermonem mihi misit* (RUDOLPHUS), *adiiciens etiam, Filio suo obside, & fidelis sui* BERTHOLDI *filio, quod*
c *promittebat, firmare.* Ibidem c) iam prius declaraverat RUDOLPHUS, omne se hereditarium ius in regnum repudiasse, *iustissime in arbitrio principum esse decernens, ut post mortem eius libere non magis filium eius, quam alium eligerent.* Respiciunt hæc BERTHOLDUM OTTONIS fratrem, qui anonymo nostro dicitur *strenuissimus dux, Alemanniæ* nimirum, in sui locum a patre renuntiatus. Ad eumdem quoque pertinet, quod BERTHOL-
d DUS seu BERNOLDUS noster memorat ad an. 1084. d), *Suevos* ultra *Rhenum* in *Burgundiam* cum expeditione profectos *quoddam castellum* BERTHOLDI *ducis filii regis* RUDOLPHI a fautoribus HENRICI obsessum viriliter eripuisse. Ad eumdem spectant, iu-
e dice SCHOEPFLINO in historia *Zaringo-Badensi* e), quæ apud mox cit. chronographum ad an. 1086. leguntur de GUELPHO ac BERTHOLDO ducibus in *Bavariam* cum exercitu profectis. Refert deinde ad an. 1090. BERTHOLDUM ducem *Alemanniæ* filium RUDOLPHI regis, in fidelitate *S. Petri Maio* mense diem extremum claussisse. Sic ad præfatum annum annales *Hildes-*
f *heimenses* apud LEIBNITIUM f), & ab eodem in accessionibus hi-

a) T. IV.
b) Act. SS. Sec. VI. P. II. p. 451.
c) Num. 95. p. 444.
d) Apud URSTIS. Script. p. 355. & in Msc. *Murensi.* e) T. I. p. 73.
f) Script. rer. *Brunsv.* T. I. p. 732.

historiæ editus chronographus a) iisdem omnino verbis dicunt a
BERTHOLDUM *ducem filium* RUDOLPHI obiisse. Et chronica
Augustensis apud FREHERUM b): BERTHOLDUS *ducis* RUDOL- b
PHI *filius morte subitanea moritur.* Sic apud citatum FREHE-
RUM c) apologista, quem GOLDASTUS inter scriptores apolo- c
geticos sub nomine WALTRAMI inseruerat: *anno* 1090. BER-
THOLT, *filius* RUDOLPHI *regis quondam Saxonum, in ipso iu-
ventutis flore defunctus est.* Apud BALUZIUM d) in coævo chro- d
nico *San-Gallensi*, & apud ECCARDUM e) ad eumdem annum e
HERIMANNUS *Metensis episcopus*, LUIDOLFUS *dux*, & BER-
THOLFUS *dux filius* RUDOLPHI *obierunt.*

Ex quibus BERTHOLDUS cum cognomine *Zaringensi* non confundendus.

XVII. Nihilominus OTTO *Frisingensis*, ab illa quidem ætate
plerisque laudatis scriptoribus remotior, confudit hunc BER-
THOLDUM RUDOLPHI regis filium cum cognomine filio BER-
THOLDI I. *Zaringensis* RUDOLPHI genero, qui ambo obsides
GREGORIO VII. pro patre & socero oblati leguntur in actis con-
cilii *Romani* f) & *Würzburgensis*, uti superius vidimus. Igitur
teste OTTONE *Frisingensi* g) *occiso Rudolpho gener eius Berthol-* f g
dus ducatum Sueviæ tamquam a socero sibi concessum usurpat. Ob-
tinuit quidem etiam ducatum *Sueviæ* BERTHOLDUS gener RU-
DOLPHI, sed, ut mox videbimus, post mortem BERTHOLDI
affinis, non soceri, ut laudati OTTONIS verba præseferunt.

Atque hac OTTONIS auctoritate contra tot scriptores etiam
coævos & αὐτόπτας, quos recensuimus, abutuntur scriptores illi,
etiam novissimi, rerum *Hungaricarum*, qui, uti mox dicemus,
ADEL-

a) Pag. 271.
b) pag. 505.
c) T. I. p. 309.
d) Miscell. T. I. p. 517.
e) App. T. I. rer. *Franc.* p. 815.
f) *Labb.* Conc. T. X. p. 383. 385.
g) L. I. de gestis FRIDERICI c. 7. apud URSTISIUM p. 412.

ADELHAIDEM S. LADISLAO nuptam BERTHOLDI *Zaringensis* filiam esse contendunt; ac inter eos nuperrime contra *Antonium* GANOCZY P. *Georgii* PRAY hyperaspistes *Daniel* CORNIDES: cui tamen forte nuper sermone familiari *Viennæ* aliam mentem indidi, uti patronus illius ill. comes *Ios.* TELEKY de *Szek* mihi significavit. Alter P. *Georgii* PRAY hyperaspistes nuperius adhuc prodiit P. *Stephanus* KATONA in historia critica regum *Hungariæ*
a a): ubi quidem agnoscit, haud satis firmum esse de unico RUDOLPHI cum MATHILDE sorore HENRICI IV. coniugio argumentum, quod nos putamus iam prorsus explosum; firmius tamen repeti existimat ex testimonio OTTONIS *Frisingensis*, cuius auctoritatem propter cognationis cum ducibus *Alemanniæ* vincula maximi faciendam esse bene Cl. CORNIDES monuerit. Pace tamen utriusque doctissimi viri dixerim, contrarium mihi vel ex hoc ipso probari. Videtur nempe OTTO iste *Frisingensis*, utpote HENRICI IV. ex AGNETE filia & S. LEOPOLDI patris sui uxore nepos, nullam rationem habuisse tum RUDOLPHI anticæsaris, cum BERTHOLDI eius filii, post patrem *Alemanniæ* ducis. Potuit tamen OTTO *Frisingensis* innocenter etiam in errorem abduci circa BERTHOLDUM RUDOLPHI filium, quem,
b ut recte SCHOEPFLINUS observat b), *haud dubie in Alemanniæ ducatu sibi successorem præ genero destinaverat* BERTHOLDO. *Sed cum filius firmatæ nondum esset ætatis, datus ei forte fuit a patre tutor* BERTHOLDUS II. *Zaringiæ dux, qui cum sorore eius* AGNETE *in matrimonio vixerat.*

Qua de re quidquid sit, necdum mihi satis explicasse videntur isti OTTONIS *Frisingensis* defensores hac in re nodos, quibus sese hac sua relatione implicasse idem animadvertit SCHOEPF-

a) T. II. p. 558. b) Hist. *Bad.* T. I. p. 72.

LINUS

LINUS a), ut BERTHOLDUS II. qui ducatum *Sueviæ* uſurpaſſe a
dicitur poſt mortem RUDOLPHI anno 1080. idem tamen anno 1092. a proceribus *Sueviæ* in ducem eligeretur, teſte BERTHOLDO coævo, qui expreſſe dicit, BERTHOLDUM illum ante annum 1092. nullum habuiſſe ducatum, etſi ducis titulo uteretur. Fieri id tamen duplici de cauſa potuit, tum ob *Carinthiæ* ducatum, quem loco promiſſi ipſi ab HENRICO III. *Sueviæ* ducatus BERTHOLDUS I. *Zaringenſis* ab AGNETE imperatrice obtinuerat, brevi tamen rurſus ab HENRICO IV. eidem ablatum, tum etiam, quod forte præfatum *Sueviæ* ducatum tutorio ſolum nomine pro RUDOLPHI filio BERTHOLDO tenuerit, quo a. 1090. defuncto ipſum poſtea proprio nomine adminiſtraverit, electus
ad id an. 1092. a proceribus. b) b

a) Loc. cit. pag. 68. &c.

b) BERTHOLDUM autem hunc ſecundum, non vero tertium fuiſſe, evincit id, quod diſerte aſſerit idem ſynchronus ſcriptor, atque etiam chronica *Auguſtenſis*, BERTHOLDUM ſcilicet an. 1092. *Sueviæ* ducem electum, fratrem fuiſſe GEBHARDI epiſcopi *Conſtantienſis*, atque adeo non tertium, ſed ſecundum. Quod miror ad rem ſuam obſervatum non fuiſſe a SCHOEPFLINO, qui illam in hiſtoria ſua *Zaringo-Badenſi* tam operoſe æque ac ſtudioſe ex inſtituto pertractavit; nec minus urgens argumentum ex transactione BERTHOLDI cum FRIDERICO *Stauffenſi* de *Sueviæ* ducatu petit: ipſeque OTTO *Friſingenſis* mox capite ſequente narrat, quomodo FRIDERICUS ab *Hohenſtauffen* gener imp. HENRICI IV. ducatum *Sueviæ* obtinuerit, BERTHOLDO tandem pacem petere coacto. Addit nihilominus: *quod tamen quidam ſub filio ſuo* FRIDERICO *factum tradunt.*

Auctor fragmenti hiſtorici apud URSTISIUM (Script. P. II. p. 84.), qui OTTONEM *Friſingenſem* præ oculis habuiſſe ex ipſis, quibus utitur, verbis comprobatur, annum 1125. notat nimis ſero, cum BERTHOLDUS iam an. 1111. obierit: nimis vero mature, nempe anno 1081. URSTISIUS BERTHOLDUM *Zaringenſem Sueviæ* ducatum abdicare coactum fuiſſe, (quæ fuit etiam *Æg.* TSCHUDII, GUILLIMANNI & OBRECHTI opinio) ad oram adnotat (Ib. p. 412.) Inſuper ad utrumque locum a nobis allatum, quo BERTHOLDUS filius RUDOLPHI dux *Sueviæ* perhibetur (quam rem ſupra ex continuatore hoc HERMANNI *Contracti* in Cod. *Murenſi* aſſertam explicatamque dedi-

Quo nempe, adstipulante chronica *Augustensi* apud FREHE-
a RUM a) *iterum principes Alemanniæ ad defensionem sanctæ matris ecclesiæ contra schismaticos unanimiter convenerunt, sibique ad hoc negotium exequendum fratrem Constantiensis episcopi* BERTHOLDUM *ducem totius Sueviæ constituerunt, qui nondum aliquem ducatum habuit, etsi iam diu nomen ducis habere consueverit.* Quæ ipsissima verba ad annum illum apud eumdem UR-
b STISIUM b) in fragmento historico incerti auctoris repetuntur, quibus vero additur: *Hic præterito anno in proprio allodio Brisgaudiæ Friburg civitatem initiavit. Anno Domini* 1093. BERTHOLDUS *dux Alemanniæ, qui & de Zeringen, cænobium monachorum in honore sancti Petri in Nigra silva construxit, quod postea frater eius* GEBEHARDUS *Constantiensis episcopus consecravit.* Pluribus hæc in BERTHOLDO seu BERNOLDO nostro ad eumdem annum enarrantur.

Pertinere hæc ad ætatem BERTHOLDI II. paullo ante ostendimus; errorem etiam eorum, qui ex confusione BERTHOLDI, quem RUDOLPHI anticæsaris filium diximus, cum hoc BERTHOLDO *Zaringensi*, quem perperam iam anno 1090. defun-
c ctum asseruerunt, notavit SCHOEPFLINUS c), nosque modo novissimos illos rerum *Hungaricarum* scriptores, qui putant ADELHAIDEM reginam *Hungariæ*, de qua mox plura, BERTHOLDI ducis *Alemanniæ* sororem, *Zaringam* fuisse, quos ambos uno anno 1090. mortuos BERTHOLDUS *Constantiensis* aliique

que

mus), iterum in margine generum RUDOLPHI BERTHOLDUM de *Zaringen* substituit (Ib. p. 355. & 363); non obstante, quod ipsemet ad an. 1078. BERTHOLDI I. *Zaringensis* ducis obitum adnotarit (Ib. p. 349.) & ad an. 1092. BERTHOLDUM II. *Zaringium* ducem *Sueviæ* (Ibid. p. 367.).

a) T. I. p. 506. b) L. c. p. 83. P. II.

c) Hist. *Bad.* T. I. p. 83.

que ſcriptores paſſim teſtantur. Dum vero BERTHOLDUM
hunc filium RUDOLPHI appellat coævus hic ſcriptor apud UR-
STISIUM a) ad an. 1090. & iam ad an. 1084. quoque, nihilo- a
minus cum URSTISIO non filium, ſed generum RUDOLPHI in-
telligendum eſſe volunt, ſicque interpretandos omnes alios au-
ctores, quos paullo ante BERTHOLDUM RUDOLPHI filium an.
1090. mortuum eſſe dicere intelleximus. b) b

BERTHOLDI II. vero *Zaringenſis* mortem ad an. demum 1111. SCHOEPFLINUS in ſua hiſtoria *Zaringo-Badenſi* indubitatam ponit, conſtatque ex actis fundationis monaſterii *S. Petri* in *Nigra ſilva*, quod condiderat, his verbis: *Anno ab incarnatione Domini* 1111. *chriſtianiſſimus dux* BERTHOLDUS, *cuius tempore illo Chriſti pauperes plurimum utebantur patrocinio, nutu divino præſentis vitæ curſum finiens ad hunc locum, quem ipſe primum cum fratre ſuo Conſtantienſium venerabili epiſcopo* GEBHARDO *cœpit conſtruere, ſicut ante diſpoſuerat atque rogaverat, ad ſepeliendum a ſuis honorifice delatus eſt: cuius corpore nondum terræ commendato uxor eius domina* AGNES *cum duobus liberis ſuis domino* RUDOLPHO *&* CONRADO *tale prædium, quale viſa eſt habere in villa, quæ dicitur Salſtat... pro redemtione animæ ſui mariti beato Petro obtulit.* RUDOLPHUM hunc nobis etiam ſiſtit ne-

a) Script. *Germ.* p. 355. 363.

b) Exempla quædam in medium afferunt, quibus nonnumquam gener filius, aut ſocer pater appellatur; qui mos hodie etiam paſſim obtinet, ſed familiaritatis & reverentiæ ergo, dum ipſi inter ſeſe verbo aut calamo agunt. Huiusmodi certe ſunt, quæ CORNIDES profert in apologia regum *Hungariæ* (p. 11.) de WENCESLAO *Bohemiæ* rege an. 1291. qui RUDOLPHUM R. R. ſocerum *patrem* nominat, uti etiam an. 1297. ANDREAS III. *Hungariæ* rex ALBERTUM *Auſtriæ* ducem ſocerum *patrem ſuum chariſſimum* compellat. Id vero ipſi hiſtorici, dum de talibus perſonis agunt, facere haud ſolent. Ut adeo hinc regulam in hiſtoria ſtatuere non perinde liceat, in re præſertim tot teſtibus teſtimoniisque aſſerta, qualis eſt hæc de BERTHOLDO II.

a crologium *San-Petrinum* apud SCHOEPFLINUM in hist. *Bad.* a), qui eum in tenera ætate obiisse dicit. Quare audiendi non sunt, qui loco RUDOLPHI BERTHOLDUM substituunt huius nominis tertium, qui a. 1122. in *Mollesheim* occisus est, ut in laudato fragmento
b historico apud URSTISIUM notatur. Vid. SCHOEPFL. b).

Qui gener RUDOLPHI, ducta AGNETE eius filia fuit.

XVIII. Mox memorata ex actis fundationis monasterii *S. Petri* AGNES RUDOLPHI nostri filia fuit. Unde comes ille de *Rhinfelden*, cui CUNONIS comitis de *Oeningen*, ut diximus, filia nupta fuit, parens *Zaringorum* appellatur *Weingartensi* monacho c). Genealogus autem *Murensis* ordine seriem nobis explicat: CHOUNO, inquit, *comes de Rhinfelden genuit* RUDOLPHUM *regem. Et ille genuit* AGNETEM *matrem* CUONRADI *ducis*. CONRADUS is est, cuius modo ex actis fundationis monasterii *S. Petri* meminimus, qui fratri BERTHOLDO III. ex eadem hac AGNETE nostra, an. 1122. occumbenti successit. In comitiis *Argentorati* an. 1125. a RUSTENO abbate monasterii *S. Blasii* oblatam advocatiam suscepit, postquam iam AGNES mater eodem, quo maritus BERTHOLDUS, an. 1111. obiisset. De hoc connubio sequentia leguntur in sæpe citato continuatore HERMANNI *Contracti* in codice *Murensi*, olim *San-Blasiano*, ubi in personis mores perspecti esse potuerunt. BERTHOLDUS *marchio ducis B. filius spectabilis, multumque liberalis adolescens, & omnifaria morum honestate strenue se & satis virtuose agens, uxorem sibi accepit* AGNETEM, RUDOLPHI *regis filiam, & ipsam admodum in suis omnibus non minus marito virtuosam.* OTTO *Frisingensis*
d d) de RUDOLPHO nostro agens, *huius*, inquit, RUDOLPHI *filiam*

a) T. I. pag. 85.
b) L. c. Lib. II. c. 2. & 3.
c) Apud LEIBNIT. Script. rer. *Brunsv.* T. I. p. 783.
d) Lib. I. de gestis FRIDERICI imp. c. 7.

liam quidam ex nobiliſſimis regni optimatibus, BERTOLFUS *nomine*, *accepit*. Quod vero paullo poſt addit OTTO, occiſo RUDOLPHO generum eius BERTOLFUM ducatum *Sueviæ*, tamquam a ſocero ſibi conceſſum, mox uſurpaſſe, aliter ſe habere ſupra oſtendimus, cum anno demum 1092. electione principum eo ducatu ſit auctus. Maſcula RUDOLPHI prole extincta ditiones eius in *Alemannia* & *Burgundia* ad *Zaringos* uxorio nomine pervenere, poſt obitum nempe BERTHOLDI filii RUDOLPHI an. 1090. Scriptores *Würtembergici* volunt, *Teccenſem* ducatum ex dote filiæ AGNETIS a RUDOLPHO patre conceſſa ad *Zaringos* perveniſſe. Ex *Burgundicis* ditionibus ab AGNETE hac donationem in *Herzogenbuſch* factam monaſterio *S. Petri* modo memorato, ubi eſt *Zaringorum* mauſolæum, ſupra meminimus; inſtrumentum vero in appendice damus. SCHOEPFLINUS a) AGNETEM hanc a RUDOLPHO ex matrimonio cum MATHILDE ſorore HENRICI IV. ſuſceptam putat.

XIX. Idem, ex quo BERTHOLDI huius mortem iam ſupra retulimus, BERTHOLDUS ſeu BERNOLDUS noſter in appendice ad HERMANNI *Contracti* chronicon ad eumdem an. 1090. mox addit: *ſoror quoque præfati ducis, regina Hungarorum eodem menſe obiit*. Non deſunt, quos OTTONIS *Friſingenſis* lapſus iam notatus in errorem abduxit, ut BERTHOLDUM filium RUDOLPHI de *Rhinfelden* cum BERTHOLDO *Zaringenſi* RUDOLPHI genero confunderent: quod quidem facit URSTISIUS addita, ut diximus, ad oram non ſemel nota. Hi vero reginam hanc, cuius obitum hic memorat BERTHOLDUS, eiusdem BERTHOLDI II. *Zaringenſis* filiam ſtatuunt, atque ſuo nomine ADELHEIDEM,

ADELHEIDA regina *Hungariæ* altera RUDOLPHI filia.

R 3 ſeu

a) *Alſat.* illuſtr. T. II. p. 539.

ſeu etiam AGNETEM, nominant veluti nuper PESLERUS, ratus eam GEYSÆ *Hungarorum* regi nupſiſſe refragante SCHOEPFLINO, cui ſummo ſtudio in rebus *Zaringenſibus* verſato, *filias num habuerit* BERTHOLDUS *ex monumentis non liquet* a), ut loquitur, nec dubitat, quin memorata BERTHOLDO ſeu BERNOLDO ſoror BERTHOLDI ducis, *Hungariæ* regina, quæ an. 1090. deceſſit, fuerit RUDDOLPHI anticæſaris filia, adeoque ſoror BERTHOLDI illius *Suevi*, quem cum BERTHOLDIS *Zaringis* PESLERUS & alii permulti confuderunt, vel ſaltem ADELHEIDEM reginam *Hungariæ* ex noſtris plagis poſt medium ſeculum XI. *Zaringenſi* familiæ adſcribunt. Fecit id noviſſime *Georgius* PRAY in diſſertatione de S. LADISLAO: quam vero in diſſertatione conſimilis argumenti recte, mea ſententia, refellit *Antonius* GANOCZY iuxta vulgatum ab URSTISIO HERMANNI *Contracti* continuatorem ſub nomine BERTHOLDI *Conſtantienſis*, qui cum ad an. 1090. mortem BERTHOLDI ducis *Alemanniæ* & filii RUDOLPHI regis retuliſſet, mox addit, ut modo notavimus, ſororem quoque præfati ducis reginam *Hungarorum* eodem menſe obiiſſe. Provocat quoque ad WALTRAMUM, *Saxonem*, & *Auguſtenſem* chronographos ſynchronos, qui BERTHOLDUM *Alemanniæ* ducem RUDOLPHI ducis ac regis filium appellant; chronicon autem *Auguſtenſe* BERTHOLDUM *Zaringenſem* primum an. 1091. ducem *Alemanniæ* electum ſtatuit æque ac BERTHOLDUS noſter, quod non animadvertit URSTISIUS. b)

Qui

a) Hiſt. *Bad.* T. I. p. 65. &c.

b) Qui SCHOEPFLINO in adornanda hiſtoria *Zaringo-Badenſi* operam contulit Cl. KOCHIUS, digniſſimus nunc eius in academia *Argentoratenſi* ſucceſſor, datis ad me litteris, quam longe URSTISIUS iam a nobis notatus, in hoc abreptus a veritate aberrarit, conteſtatur, cuius *Gallica* verba hic appono: „URSTISIUS dans ſes „notes ſur BERTHOLDUS *Conſtant.* ſe „trompe furieuſement en voulant faire „paſſer BERTHOLDUS RUDOLPHI *regis fi-*

Qui ADELHEIDEM COLOMANNO regi uxorem adſcribunt, non attendunt, eum anno demum 1095. poſt mortem S. LADISLAI regem *Hungariæ* renuntiatum eſſe, cum ADELHEIDIS iuxta BERTHOLDUM iam an. 1090. obierit. Et tamen in hanc opinionem ipſi etiam *Hungaricarum* rerum ſcriptores impegerunt. Neque admodum ab ea abhorret *Ant.* GANOCZY in diſſertatione de S. LADISLAO an. 1775. edita, ex ſententia VOLATERRANI, qui LADISLAI viduam a COLOMANNO in uxorem ductam aſſerit. Probat laudatus GANOCZY, COLOMANNUM S. LADISLAI ex fratre GEYSA nepotem fuiſſe, non filium, ut *Georgius* PRAY in diſſertatione de S. LADISLAO an. 1774. edita exiſtimavit, atque adeo matrimonium hoc ex iſto etiam capite explodit: quod certe, niſi alia chronologia S. LADISLAI eiusque ſucceſſoris COLOMANNI ſtatuatur, admitti nequit.

Documenta quidem *San-Blaſiana* ab annis ſaltem 400. ADELHEIDEM COLOMANNO tribuunt. P. *Xyſtus* SCHIER, cuius de reginis *Ungariæ* primæ ſtirpis liber ſingularis an. 1776. *Viennæ* prodiit, non aliunde enatum putat, quod ALBIZIUS COLOMANNO ADELAM RUDOLPHI comitis de *Rheinfelden* filiam coniugem aſſignet, quam ex coniunctione coniugum in epitaphio *Veſprimienſi* apud BONFINIUM a). Ubi vero fatetur P. SCHIER b), ſe nomen COLOMANNI ſuppleſſe; cum tamen ſupra c) rectius nomen STEPHANI poſuerit in eodem epitaphio, prout mancum eſt, apud BONFINIUM, hactenus male lectum a b c

ac

„*lius* pour le Duc de *Zaringue* Gendre „du meme Prince, les termes: ADELHAIDIS *ſoror præfati ducis regina Ungarorum* prouvent bien evidemment le „contraire."

a) P. I. notit. reg. *Hung.* p. 170.
b) De reg. *Hung.* p. 83.
c) Ibid. p. 49.

ac intellectum, donec paucis abhinc annis a iam laudato *Georgio* PRAY presb. de historia *Hungariæ* optime merito apertius erutum fuit, prout ad amussim exscriptum ad me transmitti curavit, huiusmodi.

D. OP. MAX. S.
HVIVS. SACRI. TEMPLI. CONDIT
RICI. GESLAE. STEFANI. ET. OLAY
THI. LADISLAI. SANCTOR. PANNO
NIAE. REGVM. DIVIS. CONIVGIBVS
AMPLISS. PATER. DNS. PETRVS. T T
SANTI. CYRIACI. S. R. E. PBR. CAR
. . . EGYNVS. EPS. VESPRIMIEN
AP
. . . . . ORIAE. VENER.

Signa... indicio sunt, marmor iniuria temporis fractum esse: legi vero debet *Rheginus* & *Memoriæ*. Illud AP. inscitia lithoglyphi puto irrepsisse loco AD vel AR. quo significetur, RHEGINUS Cardinalis fuisse Administrator Episcopatus *Vesprimiensis:* tametsi commode etiam legi possit *Apposuit*. Utcumque sit, liquet ex epitaphio, ADELHAIDEM, in lapide autem patrio more OLHAYT, non fuisse COLOMANNI regis uxorem, cui præter BUSILAM ROGERII *Siciliæ* comitis filiam, ut MALATERA scriptor coævus habet, &, hac defuncta, *Kiovensium* principis natam, sed ob suspicionem adulterii repudiatam, nulla omnino alia coniux fuit.

Epi-

Epitaphium hoc novissime illustravit egregie *Daniel* CORNIDES singulari libro, quo regum *Hungariæ*, qui sec. XI. regnavere, genealogiam illustrat, atque ab obiectionibus *Antonii* GANOCZY vindicat, qui illud in dissertatione historico-critica *de S.* LADISLAO *Hungariæ rege fundatore episcopatus Varadinensis* æri incisum exhibet, a P. *Vincentio* BLAHO Ord. Minor. reformatæ provinciæ *S. Salvatoris* primum luci datum, & in ecclesia *Makrantzìensi* repertum. Atque ad fidem huius epitaphii (seu cenotaphii post aliquot nempe secula demum positi) maxime autem chartæ mox memorandæ nemo dubitat, S. LADISLAO, qui cœlebs fuisse credebatur, OLHAIT seu ADELHAIDAM uxorem adscribere, quam sunt, qui *Græcis* SYNADENEM dictam existimant, ne S. LADISLAUS bigamus fuisse videatur. At iam communiter GEYSÆ I. uxorem tribuunt SYNADENEM post CORNIDEM, cuius omnino industriæ tribuit P. PRAY, quod ea inter reginas *Hungariæ* locum habeat, diligentissimo adhuc ignorata P. SCHIER. Hic vero annum nuptiarum S. LADISLAI cum ADELHEIDE filia RUDOLPHI non multum ante annum 1079. statuit, quo AGNES soror illius BERTHOLDO *Zaringensi* obtigit, atque hoc ideo, quod prima RUDOLPHI uxor MATHILDIS an. 1060. sit mortua. Ratio, cur annus 1076. PRAYO placet, displicet GANOCZYO, congruit vero altera aliis etiam huius septimi decennii seculo XI. annis, quibus auctoritate & rebus pollebat RUDOLPHUS.

De uxore S. LADISLAI omnino constat ex litteris huius regis, ecclesiæ *Vesprimiensi* an. 1082. datis: fidemque PRAYUS GANOCZYO liberavit in medium prolato integro diplomate, in quo nomen etiam ADELHEIDIS exprimitur, ut ex litteris P. PRAY

ad me datis palam fit, ex quibus, quæ ſunt ad rem, excerpta
a apposo. a)

b SCHOEPFLINUM haud moramur, qui in hiſtoria *Badenſi* b) ad finem capitis primi GISELAM vocat RÜDOLPHI noſtri filiam, quæ LADISLAI I. *Hungariæ* regis coniux fuiſſe videatur; cui nuptiis ſecundis ADELHEIDIS ſucceſſerit. Non puto, eum a GI-

SELA

a) Pericopen diplomatis *Ladislaiani* de an. 1082. in qua uxoris ſuæ non indicato nomine meminit, ante aliquot annos PALMIO communicaveram, qui illam primus vulgavit. Ego integrum diploma Parte I. Speciminis Hierarchiæ *Hungaricæ Poſonii* a. 1776. pp. 265. & ſeqq. vulgavi. Id GANOCZIO ſuſpectum videbatur propterea, quod, unde id acceperim, non prodidiſſem. Liberavi fidem meam in Diatriba adverſus illius diſſertationem de S. LADISLAO fundatore eccleſiæ *Varadienſis Poſonii* a. 1777. pag. 95. ubi doceo, unde diploma depromſerim, & quoties, & a quibus publica auctoritate tranſumtum, aut productum fuerit. Ut adeo prudenter nemo dubitare poſſit, quin S. LADISLAO, quem cœlibem hactenus omnes putavere, uxor fuerit. Nomen illi fuiſſe ADELHAID, ex lapide ſepulcrali, quem *Petrus* RHEGINUS Cardinalis, epiſcopatus *Veſprimienſis* adminiſtrator ex vetuſto templi *Veſprimienſis* fragmento, de quo BONFINIUS, inſtauravit, conatus ſum oſtendere in diſſertatione de S. LADISLAO rege *Hungariæ*, tum in diatriba paullo ante memorata. Videbar pleriſque coniecturis meis proxime ad veritatem acceſſiſſe. Nunc ipſam veritatem teneo. Ante paucos enim dies copia diplomatis EMERICI regis, cuius autographum in tabulario Ven. capituli *Veſprimienſis* extat, mihi communicata eſt, in qua uxoris nomen diſerte exprimitur. Adſcribo, quoad huc facit, locum diplomatis: „Hinc eſt, (inquit rex „præmiſſo, ut in diplomatis fit, exordio) „quod cum in prædio quodam, nomine „MERENA, quod glorioſa regina ADULHAYT, uxor videlicet bonæ memoriæ „regis LADISLAI, animæ ſuæ remedio „conſulens, eccleſiæ beati MICHAELIS „de *Veſprimio* contulerat... multa per „improbæ ambitionis audaciam -- deperirent, precibus venerabilis KALENDA „*Weſprimienſis* epiſcopi & Fratrum inducti, fidelem noſtrum comitem CUMPURDINUM RADULFI filium ad dictum „prædium direximus &c." Certum eſt igitur, ADELHAIDEM fuiſſe uxorem S. LADISLAI, & lapidi ſepulcrali, quem RHEGINUS inſtauravit, ſuam fidem conſtare, præſertim, quod EMERICUS rex in eodem diplomate patrem ſuum BELAM III. in teſtem accerſat, qui autographum S. LADISLAI præ manibus habuit. Idem porro diploma integrum exhibet *Steph.* KATONA hiſt. crit. regum *Hung.* T. II. p. 418.

b) T. I. p. 66.

SELA S. STEPHANI coniuge in errorem esse abstractum, quæ in epitaphio mox allato GESLA vocatur, una vero OLAYTH seu ADELHEIDA nostra S. LADISLAO tribuitur. Anonymus *San-Blasianus*, qui iam ante annos quadringentos COLOMANNUM ADELHEIDIS maritum statuit, sibi non constat, nostrisque in domestica historia nodum involvit. Dum vero idem scriptor ADELHEIDEM matrem, materteram nominat HENRICI IV. eumdem intelligit, quem vulgo HENRICUM quintum appellamus, BERTHÆ filium. Cæterum ex eodem anonymo nostro excerpta misi ad doctissimum PRAY, qui quæ inde ad illustrandam historiam *Hungaricam* collegerit, nolui latere lectorem. a) a

COLOMANNUM quod attinet, primus eum P. PALMA S. LADISLAI filium esse ostendit, cum vetustiores eum GEYSA I. S. LADISLAI fratre natum asseruerint. Eruit hoc PALMA ex nota antiquissima ad historiam *Salonitanam* THOMÆ archidiaconi *Spa-*

a) „Fragmentum anonymi *San-Blasiani* multa continet, quæ historiam *Hungariæ* illustrare possunt. *Frater mariti sui* non alius, quam GEYSA fuit, qui insignem illam S. Crucis portionem ADELHAIDI dono datam verisimillime a *Græca* sua uxore SYNADENE, cuius SCILICES meminit, hæc vero a fratre matris suæ BOTONIATE *Asiæ* præfecto ac postea imperatore, hic denique, ut eius auctoritas & locorum positus suadent, *Ierosolymis* obtinuerit. Illud etiam ex fragmento consectaneum est, ADELHAIDEM LADISLAO iam ante annum 1077. in manus convenisse. Cum enim vivificæ crucis lignum a GEYSA mariti sui fratre dono acceperit, is autem an. 1077. obierit, necesse est, ut ante hunc annum iam LADISLAI coniux esset. Emortualem quoque diem ADELHAIDIS, quem hactenus ignoravimus, certum habemus; BERTHOLDUS enim *Constantiensis*, si rite recordor, illum non consignavit. Ut autem hæc in rebus *Hungaricis* illustrata anonymo *San-Blasiano* debemus, ita cum suis LXX. aureis, quorum meminit, magnam difficultatem rei nummariæ ingessit. Hactenus enim inveterata apud nos opinio invaluit, monetam auream a BELA III. ad morem *Græcorum*, apud quos educatus sub nomine ALEXII erat, in *Hungariam* primum invectam fuisse.“ Quid vero? si scriptor hic sec. XIV. monetæ valorem ad genus nummorum suæ ætatis accommodarit.

Spalatensis ad finem adiecta in hæc verba: *Colomannus filius Wladislai regis Ungariæ stans in throno loco patris.* Sententiam PALMÆ tuentur PRAYUS, CORNIDES, KATONA contra *Ant.* GANOCZY multis argumentis assertam. Exinde vero consequens est, ut quas anonymus *Weingartensis* COLOMANNO tribuit sorores, eæ filiæ habeantur S. LADISLAI, ex ADELHEIDE utique nostra: meritoque CORNIDES stomachatur in editorem operis posthumi P. *Xysti* SCHIER, qui ea omittenda in animum sibi induxit, quæ idem P. SCHIER scripserat de prolibus S. LADISLAI COLOMANNO, SOPHIA, PRISCA seu PYRISKA, *Græcis* IRENE dicta, & BERTHA. Has, non omnes quidem nomine designat anonymus *Weingartensis*, sic de HENRICO nigro duce *Bavariæ* GUELFO locutus: *qui*, ait, *uxorem iam dudum vivente patre de Saxonia accepit filiam* MAGNONIS *ducis*, & SOPHIÆ *sororis regis Ungariæ* COLOMANNI, WULFILDEM *nomine. Erat autem eadem* SOPHIA *antea cuidam de Carinthia copulata, ex qua genuit* POPONEM *marchionem*, *qui duas filias unam* BERTHOLDO *comiti de Bogen copulavit. Porro soror huius* SOPHIÆ *regi Græcorum nupsit. Aliam sororem eius* BERCHTAM *quidam comes ex claustro quodam sanctimonialium abstractam duxit & ex ea* FRIDERICUM *Ratisponensem advocatum genuit.*

Quæ ex his ad illustrandam historiam *San-Blasianam* faciunt,
a explicavimus suo loco in *Nigræ silvæ* historia a). Præter PYRISCAM enim uxorem *Ioannis* COMNENI Imp. *Cpolitani*, reliquæ duæ S. LADISLAI ex ADELHEIDE nostra filiæ illas in manus convenerunt, ut earum posteritas ibi gentium sese diffunderet, ubi monasterium ac congregatio *San-Blasiana* ab exeunte sec. XI.

&

a) Lib. VII. num. 18. T. I. p. 399.

& deinceps paſſim colonias ſuas deduxerat, gratia imprimis valens apud comites de *Windenberg* & *Bogen.* Illuſtri huic familiæ utraque prædictarum filiarum fuit innexa per neptem ſuam LUITGARDEM ex UDALRICO eiusque filio POPONE *Carinthiæ* marchione, coniugio copulatam BERTHOLDO II. comiti de *Bogen*, qui abnepos fuit BERCHTÆ, alterius filiæ S. LADISLAI, uxoris HARTWICI comitis de *Bogen*, frater autem ALBERTI ſeu ADALBERTI II. qui ſagitta in obſidione caſtri *Phalaiæ* percuſſus, in extremis poſitus pro more illorum temporum habitum O. S. B. ſuſcepit, apud nos ad *S. Blaſium* in *Nigra Silva* ſepultus.

Multis vero ſupra memoratus anonymus *San-Blaſianus* enarrat inſignem S. Crucis particulam, quæ ſupereſt etiamnum præcipuum Sacrarii noſtri cimelium, ab ADELHEIDE iſta ſub GISILBERTO abbate, qui iam an. 1086. obierat, ad *S. Blaſium* miſſa. a)

a) „Miſit pariter (addit) & ſeptuaginta aureos ad decorandum pretioſum lignum, nec non & duo pallia admodum exquiſita. Quæ nimirum donaria ſuſcepit digniſſime Venerabilis abbas GISELBERTUS; lignum vero pretioſum ſumma diligentia cum ſuis omnibus ſolemniter & lætabunde accepit, ſicut aſſeruerant hi, qui tunc temporis præſentes interfuere. Poſtmodum vero permittente occulto Dei iudicio minori diligentia & honore eſt habitum a poſteris eorum in magnitudine ſpeciei dubitantibus: cum ſcilicet nusquam locorum tantam eiusdem ligni quantitatem quisquam ſe vidiſſe meminerit, non id attendentibus, aut neſcientibus, quod regina potentiſſima, quidquid in ſeculo fuit præſtantiſſimum, quam optime potuerit adipiſci; præſertim cum & nobis ſit relatum, unde & quomodo id ei divina gratia contulerit. Frater quippe regis, mariti ſcilicet ſui, ſicut ipſa nobis denuntiavit, idem venerabile lignum pro munere ei contulit, quod & ipſa utpote ſanctiſſimum omnique honore excolendum multo tempore religioſiſſime conſervavit. Poſtmodum vero divina gratia inſtigante ad locum noſtrum, quem apprime dilexit, cuique etiam ſemetipſam, ſi concederetur, dedere præcipitaret, pro ſummo & maximo dono transmiſit, plurimum aſtruens, id vere lignum eſſe, in quo pro ſalute hominum conditor orbis pependit, & eam partem

Ex duobus regiis palliis, quæ commemorat anonymus, dono ſimul transmiſſis, unum ad finem adhuc ſeculi ſuperioris ſuperfuiſſe a teſtibus oculatis accepi, illudque vetuſtate attritum, ac margaritis undiquaque intextum, quas ROMANUS tunc abbas exornandis Sanctorum exuviis adhibuit. Crux illa, cui inſerta fuit inſignis illa ligni S. Crucis particula, ab ADELHEIDE GISILBERTO abbati dono data hodieque ſupereſt, quamplurimis lapidibus magnam partem figuratis decorata a GUNTHERO an. 1141. in abbatem electo, cum hac epigraphe:

Chriſte dator vitæ, quem laudant omnia rite,
Præmia digna para reparatis in crucis ara.
Clauditur hic digni Crucis almæ portio ligni.
Pannonici regis dedit hanc coniux Adelheidis.
Domnus Guntherus abbas patravit hanc crucem.

In pede tamen huius crucis ſeu tripode ex aurichalco deaurato hæc habetur inſcriptio: *Uto abbas fecit hanc crucem.* Unde palam fit, adhibitum fuiſſe a GUNTHERO abbate tripodem crucis ab UTONE abbate factæ pro oſtenſorio ligni S. Crucis ab ADELHEIDE GISILBERTO abbati dono miſſi. a)

XX.

ligni eſſe, per quam clavus Dominicæ manus ſanguine imbutus penetravit. Nec hoc ſilenter prætereundum, quod CHRISTUS IESUS eamdem reginam de huius mundi *Ægypto* in inventione S. Crucis ad terram viventium tranſtulit."

a) Proſequitur dein idem anonymus noſter, quomodo ſub eodem abbate probationem canonicam ſubierit hæc crucis particula, ita ſcribens: „Qui venerandus abbas „cum eſſet ſolertiſſimus in omni ſpiritali „ſtudio, cœpit ſecum revolvere, qualiter ad agnitionem certitudinis veniret, „ut amodo debita reverentia dulci ligno „exhiberetur. Idcirco BERCHTODO reverendo Priori de *Sulzberg*, quo etiam „eiusdem particula ligni devenerat, cauſam examinandi commiſit. Tum ille „rei negotium tam ſororibus, quam omnibus ſibi ſubiectis commendavit, ut „Deum intente exorarent, quatenus rei „veritatem eis revelare dignaretur. De-

XX. Cuspinianus, Lazius, Henningesius, Guillimannus, Lucæ, Guichenon, aliique unam adhuc aut duas etiam filias Rudolpho nostro tribuunt, Bertham & Mechtildem nomine, quarum illa Udalrico comiti *Brigantino* seu de *Pfullendorf* primum, secundis vero nuptiis Sigefrido *Brandenburgico* copulata fuerit; hæc autem Ernesto *Austriæ* marchioni. Ex tribus vero eius nominis, qui omnes seculo XI. vixerunt, tertius *Strenuus* vocatus, Adalberti I. marchionis *Austriæ* filius natu minor, & Leopoldo fratre ante patrem mortuo successor, occubuit in primo bello Henrici IV. imp. apud *Unstrutam* anno 1075. ætatis quadragesimo octavo, regiminis deci- An præterea aliæ fuerint?

„inde convocatis quibusdam reverendissimis presbyteris, pluribusque aliis religionis amatoribus sub iudicio aquæ frigidæ comprobavit certissime rei veritatem, Domino nostro Iesu Christo id omnibus apertis indiciis demonstrante, quod ipsum esset lignum, in quo verissime pependit orbis vita & pretium. Mox omnes, qui aderant, cum admirabili quadam concordia & unanimi consensu in cœlum laudes extollunt, Deumque magnificis præconiis laudare contendunt."

Iam quidem in concilio *Cæsaraugustano* an. 592. reliquiæ igne probari iubentur; extantque orationum formulæ in operum S. Gregorii *Turonensis* editione Ruinarti (p. 1366.) Sed cum id periculum fieri non posset in sepulcris seu sacrariis aut thecis, præsertim pretiosioribus, qualis certe erat nostra hæc *San-Blasiana*, in subsidium vocata fuit probatio seu examen per aquam frigidam, ut iam in disquisitionibus præviis in veterem liturgiam *Aleman.* (T. II. p. 556.) ex *Remigianis* membranis sec. IX. apud Mabillonium (Analect.) ostendimus, & ex collectione canonum ibidem citata notavi hæc verba: „Hoc iudicium atque examinationem misit domnus apostolicus in *Franciam*, ut non violarentur sacra altaria Sanctorum, sed per hanc adiurationem & iudicium aquæ frigidæ possit patescere veritas." Qui, quæ P. *Le* Brun toto libro sexto affert ea de re testimonia, studiose perlegerit, fidem ei non detrectabit inter ea, quæ extra dubium sunt posita. Communem iudicii aquæ frigidæ ritum exhibet Mabillonius l. c. Baluzius (T. II. Capit. p. 644.) Murator. (Antiq. *Ital.* T. III. p. 613.) Martenius de antiquis ecclesiæ ritibus (T. II. p. 958. & 968.) alii; nosque inter monumenta veteris liturgiæ *Alemannicæ* dedimus.

decimo nono: qui uxorem habuit SUANEHILDEM, quæ aliis
a MECHTILDIS, ac iterum aliis ADELHEIDIS audit. a)

Quoad tertium eiusdem nomen, ADELHEIDIS nempe, cum laudato ECKARDO (qui appendicem chronici *Montis Sereni* se-
b cutus b) DEDONEM duas genuisse filias putat, quarum una ADELHAIDIS nupserit ERNESTO marchioni de *Bavaria*, eique genuerit LUPPOLDUM marchionem) facere recusat idem HANTHALERUS, eoquod ipse ECKARDUS appendicem hanc subinde in nominibus falsam arguat. Quid? si in dicta appendice, quoad nomina non raro mendosa, cum ADELHAIDE *Brabantina*, noverca sua, DEDONIS coniuge altera, confunderetur? P. CAL-
c LESIUS c) ERNESTI coniugi solum SWANEHILDIS nomen tribuit his verbis: SWANEHILDEM *fuisse* ERNESTI *coniugem, tametsi* MECHTILDEM *monumenta reliqua ac annales nominent, in confesso est*. De ADELHAIDE vero nullam mentionem facit.

In

a) Stemma MECHTILDIS quod attinet, id veterum scriptorum nullus prodit. Solus ECKARDUS primus est, qui eam in originibus *Saxonicis* filiam facit DEDONIS III. (I) marchionis Orientalis in *Lusatia* inferiore, cui recentiores omnes subscribunt. Maritus ERNESTUS eam in diplomate, sine anno & consule *Mellicensibus* dato, & a *Philiperto* HUEBER in *Austria* ex archivis *Mellicensibus* p. 1. vulgato, SWAENEHILD compellat his verbis: „Notum sit omn ibus -- qualiter ego ERNESTE *Austriæ* marchio cum dilectissima „tori nostri socia, domina SWAENEHILDI marchionissa, & filio nostro LUPPOLDO, pro remedio &c." quo cum plerique faciunt. HANTHALERUS (Fastor. *Campil.* elogio IV. p. 104) cum ALOLDO, non solum æquali, sed & in aula ERNESTI domestico, nec non ex lapide sepulcrali *Mellicensi*, tabulis item *Claustro-Necburgensibus*, *Vito*que AREMPECKIO & HASELBACHIO, MECHILTIM vel MECHILDIM aut MECHILTAM vocat: auctoritas tamen diplomatis tanta sibi est, ut, cum grave adversus illud contendendi fundamentum nullibi suppetat, contra omnem historicorum fidem, qui ERNESTO plures una coniuges non tribuunt, largiatur, marchioni huic SWANEHILDIM aliquam posterioribus nuptiis coniunctam fuisse.

b) L. c. lib. III. cap. II. §. III. col. 64.

c) Annal. *Austr.* T. I. L. VI. p. 377.

In monumentis *Austriacis* trina hæc nomina pro sola & unica, quæ ERNESTO fuit, coniuge admittuntur, & res sic componitur, ut ea binis saltem nominibus compellata fuerit; cum regum & principum uxores nomina sua, peregrina præcipue, aut mutarint, aut alia sibi imponi permiserint. a) a

Ex quibus quis inferat, MECHTILDIM ERNESTI *Strenui* contoralem eamdem cum SWANEHILDI aut ADELHAIDA esse: at eam RUDOLPHI *Rhinfeldensis* filiam fuisse, nullo indicio proditur. BERTHAM quod attinet, ætate admodum disparem, notatur illa in *Gallia Christ.* b) circa an. 1080. UDALRICUS *Brigantiæ* & *Rhætiæ* comes maioris *Augiæ* restaurator, ac BERTHA b eius uxor, filia RUDOLPHI comitis de *Rhinfelden*. Sodales *Augiæ* maioris monachi præcise an. 1097. statuunt, quo memoratus UDALRICUS iunior *Brigantiæ* & *Rhætiæ* comes novus veluti monasterii fundator ecclesiam a fundamentis extruere cœperit; BERTHA autem uxor inter alia parochiam in *Sargans* cum decimis &c. contulerit. Horum filius RUDOLPHUS an. 1112. mo-

a) Varia hanc in rem prostant exempla, uti in *Pinacotheca Austriaca* P. HERRGOTTI (P. I. proleg. II. §. XXXVII. p. XXXVIII.) de HENRICI III. filia, quæ duplici nomine IUDITHA & SOPHIA audit: filia quoque LEOPOLDI *Pulchri*, quam PESSINA in *Marte Moraviæ* (Lib. III. cap. 3. p. 262.) LUCIAM vocat, Necrologium ab HANTHALERO editum ad XVIII. Cal. *Maii*, aliique IDHAM seu ITHAM appellant; pariterque THEODORAM, LEOPOLDI VII. gloriosi coniugem, ab *Austriacis Hermam* fuisse vocatam. Sequitur (*Pinacoth.* cit. p. XL.) ADELHAIDIS ADALBERTI victoriosi uxor, quæ in diplomate HENRICI III. pridie Id. *Nov.* an. 1051. FROWIZA nomine salutatur. Proferuntur in *Taphographia Habsburgica* (P. I. L. I. c. 1. §. XXII. p. 14. seq.) duo adhuc exempla, HENRICI sancti nimirum, de cuius uxore HERMANNUS *Contractus* apud PISTORIUM (Script. rer. *Germ.* T. I. p. 276.) ad an. 1038. ELIPHTRUDA, inquit, *quæ & CUNEGUNDIS regina . . . XV. Cal. Augusti obiit.* Extat quoque HENRICI I. ducis *Austriæ* diploma, in quo coniugem suam THEODORAM, DOROTHEAM appellat.

b) T. V. p. 972.

T

monasterium absolvisse dicitur cum nova basilica, in qua duo e solido marmore sepulcra conspiciuntur, in quorum uno UDALRICUS pater, RUDOLPHUS filius cum uxore HIRMINGARDE comitissa de *Calw* conditi, in altero vero BERTHA UDALRICI coniux cum hoc epitaphio:

Fundatrix Bertha dictis factisque diserta.

Necrologium antiquissimum UDALRICUM d. 27. *Octobris*, BERTHAM 18. *Ianuarii*, RUDOLPHUM 12. *Maii*, HERMENGARDEM 3. *Maii* commemorare dicitur. In necrologio monasterii *Zwifaltensis* scribi cœpto sec. XII. transscripto autem & continuato sec. XIII. a RHINHARDO abb. circa medium eiusdem seculi ad diem 20. *Ian.* cum FRIDERICO duce *Suevorum* iuniore notatur BERTHA *comitissa de Brigantia* ut apud P. HESS Monum. *Guelf.* parte histor. p. 235. legitur.

In sæpe citato Msc. *Murensi* ad an. 1077. inter adhærentes tunc HENRICI IV. numeratur HERIMANNUS *comes Palatinus, qui gener regis* RUDOLPHI *futurus erat.* Non vero aliam, quam AGNETEM, quæ BERTHOLDO II. *Zaringensi* obtigit, RUDOLPHI filiam HERIMANNO, si ille retraxisset gradum, destinatam fuisse existimo. Vulgatus BERTHOLDUS *Constantiensis* apud URSTISIUM, conspirante ad annum 1086. Msc. *Murensi*, unum eumdemque HEREMANNUM hunc *ex parte* HENRICI *absque ecclesiastica communione heu miserabiliter* periisse lamentatur. Quæ causam recusati aut denegati matrimonii indicant.

CAPUT

CAPUT IV.

DE FRIDERICO ROCKE
COMITE DE DIESSEN SEU ANDECHS APUD D. BLASII SEPULTO.

§. I.

Fridericus huius nostri uxor Cuniza.

Passim scriptores recentiores *Fridericum* HOCKE, ROCKE aut ROCHO memorant, quem aliquando ducem *Meraniæ* nominant, apud *S. Blasium* in *Silva nigra* sepultum; sed fontes non indicant, unde id hauserint, HUNDIUM vel AVENTINUM a), ut coniicio, plerique secuti: de quo cætera diligentissimo scriptore id maximopere dolendum est, sed condonandum mori ævi sui, quod, unde sua acceperit, manifestare haud soleat. Pervolventi vero mihi monumenta *Bavarica* inter scriptores *Boicos And. Felicis* OEFELII b) occurit Necrologium LUITOLDI presbyteri *Diessensis* sec. XII. a variis interpolatum & auctum, ad membranas autographas descriptum, atque e schedis *Gewoldianis* editum, in quo VIIII. Kal. *Febr.* notatur manu primigenia FRIDERICUS *comes* (ad marginem recentiore manu: *patruus* BERTHOLDI *fundatoris nostri*) SEPULTUS AD S. BLASIUM IN SILVA NIGRA; perinde ac in excerptis ex gemino necrologio circa a. 1224. compilatis inter monumenta *Boica* c) paullo ante inter miscellanea genealogica d) genealogia comitum *Andecensium* ex membrana eiusdem anni sic orditur: *Hæc est genealogia fundatorum nostrorum:* RAZO *comes*, FRIDERICUS *comes* ROCHE, KUNIZA *cometissa* † 1075. Quod postea in sche-

a) Lib. VII. c. 6. p. 659.
b) T. II. p. 674.
c) Vol. VIII. p. 301.
d) Ibid. num. XCII. p. 297.

ſchemate genealogico ſic explicatur: RAZO *comes de Dieſſen a.* 1035. † *ante* 1050. FRIDERICUS I. *comes* ROCHE †. 1075. *ux.* CUNIZA &c.

Stirps materna eadem ac RUDOLPHI noſtri.

II. Meum iam hic non eſt gentis huius ac familiæ ſeriem genealogicam texere per ARNULPHUM imp. ex ſtirpe *Carolingica* ultimum uſque ad S. ARNULPHUM, cuius inſignis extat genealogia in annalibus *Pithœanis* apud DUCHESNIUM, CALMETUM in Hiſtoria *Lotharingica*, & alibi, qua S. ARNULPHI CAROLINGORUM parentis ortus demonſtratur. Propius nos contingit materna FRIDERICI noſtri propago e CHUNIGUNDA ſorore RICHWARÆ, ut appellant, quam ſupra oſtendimus comiti de *Rhinfelden* nupſiſſe, ex quatuor filiabus comitis de *Oeningen*,
a quas ſuſcepit ex RICHLUIT, ut monachus *Weingartenſis* a)
b vocat, VITUS vero Prior *Eberſpergenſis* b) RICHLINDIN. Extat hodieque in ſacrario *Dieſſenſi* laterculus coctus, an. 1466. in ſepulcro CHUNEGUNDÆ repertus, qui ad prototypon expreſſus
c cernitur inter monumenta *Dieſſenſia* c) quemque AVENTINUS
d d) vidit & exſcripſit, nos ad archetypum damus.

CHVNIGVN.
PECCATRIX.
HVIVS. LOCI. S.
DOMINATRIX.
ISTAM. CONSTRVENS.
AVLAM. II. NON.
MARTII. OB.
A. M. XX.

Fuit

a) Apud LEIBNIZ. Script. rer. *Brunſv.* T. I. p. 783.
b) OEFEL. Script. rer. *Boic.* T. I. p. 711.
c) Monum. *Boic.* T. VIII. ad p. 120.
d) Lib. V. c. 4. n. 12. p. 482.

Fuit ea avia FRIDERICI noſtri ex marito cognomine, qui FRIDERICUS II. comes de *Andechs* dicitur: proavia igitur laudata RICHLINDIS, qualis etiam fuit ſanctæ RICHARDIS, uxoris UDALRICI de *Sempt*, ex ſententia VITI *Eberſpergenſis* a), a
qui addit, RICHARDIM habuiſſe fratrem nomine WELFO, *qui fuit dux Sueviæ huius nominis primus.* UDALRICUS *autem & RICHARDIS tres abbatias conſtruxerunt, Geyſenfeld videlicet, Chubach & Eberſperg. In quo monaſterio, ſcilicet Eberſperg, corpora eorum magnifice ſepulta ſunt.* Conferatur citatus anonymus *Weingartenſis* n. 4. de RUDOLPHO fratre, quem vocat, S. CONRADI, & apud OEFELIUM b) anonymus *Eberſpergenſis*, b
nec non AVENTINUS. c) c

III. Idem *Weingartenſis* monachus agens de filio primi WELFONIS ETHICONE, huiusque filio HENRICO, memorat eum uxorem duxiſſe de *Hohenwarte* in *Bavaria*, BEATAM nomine, ex qua tres filios genuit, S. CONRADUM *Conſtantienſem* epiſcopum, ETHIOGONEM & RUDOLPHUM longe, ut temporum ratio expoſcit, ſeniorem eo, quem ſupra diximus affinem fuiſſe RUDOLPHO noſtro, ducta uxore ITA comitis de *Oeningen* filia. Quæ vero BEATA hic dicitur, HATTA eſt S. CONRADI mater, cuius pater iuxta AVENTINUM d) & alios, fuit RATHBODO, avus d
RATHOLDUS filius ARNULPHI imp. ut diximus. HATTÆ fratres fuerunt S. RATHO & FRIDERICUS comites de *Andechs*, cuius nepos FRIDERICUS II. (ARIBONE patre) ex KUNIGUNDA de *Oeningen* paullo ante memorata genuit LUITPOLDUM ſeu LEOPOLDUM comitem de *Dieſſen* ſeu *Andechs*, patrem FRIDERICI noſtri cognomento *Rocke.*

Coniuncta genti *Guelphica.*

IV.

a) L. c. b) T. I. p. 8. c) Annal. *Boic.* lib. VI. c. 1. d) Lib. VII. c. 6.

Friderici nostri memoria in charta restaurationis monasterii *Attilensis.*

IV. Atque hoc nomine in notitia restaurationis monasterii *Attilensis* in *Bavaria* compellatur, cuius hoc est initium a): *In nomine sancte & individue Trinitatis. An. Incarnationis Dominice MLXXXVII. Ego* ENGILBERTUS *Hallensium comes locum Attilensem sub titulo S. Dei genitricis Marie perpetue virginis, sanctique Michaelis archangeli in territorio Frisingensi restauravi. Idem namque locus priscis temporibus a principibus de Diezin magna prædiorum copia nobiliter est fundatus, sed a perversis hominibus, & maxime a quodam* FRIDERICO *cognomento Rocke, personis expulsis, rebus abstractis ita destructus est, ut tribus tantum prebendariis illic remanentibus vix tandem parvissimum pristine habitationis ibidem servaretur indicium.* P. MEICHELBECKIUS in historia *Frisingensi* b) errorem hic notavit in anno 1087. nec eum diffitentur editores monumentorum *Attilensium*, suspicati, a GEWOLDO eiusque amanuensibus facili prorsus errore siglam C. mutatam fuisse in quinquagenariam L. At probe inspecto autographo, in eo expressum omnino repererunt annum 1087. *ut*, aiunt in præfatione c), *nisi erroris vel mendæ postulare velimus ipsum, quo* ENGELBERTUS *usus est librarium, alia prorsus ineunda sit via salvandæ instrumenti egregii fidei & auctoritatis.* Coniectura vero, quam explicant, ex ipso statim exordio, quod pace æstimatissimorum Sodalium Litterariæ academiæ *Bavaricæ* dixerim, dilabi videtur. Ex illis siquidem, quæ supra haud semel ex probatissimis scriptoribus in simili casu attuli, nihil obest, quo minus erroris vel mendæ ipse, quo ENGELBERTUS usus est, librarius potuerit esse auctor, cum perinde ac GEWOLDI amanuensis homo labenti calamo obnoxius fuerit. Atque

a) Monum. *Boic.* Vol. I. p. 266. b) T. I. p. 282. c) Monum. *Boic.* Vol. I. p. 258.

que talis lapſus ſolertiſſimi *Boicorum* monumentorum collectores non unum forte ſucceſſu operis reperient, dum, quod nunc ſtudioſiſſime faciunt, omnia digerent, conferent & examinabunt, ſuæque vindicabunt ætati monumenta: quod recte hic faciunt reſtaurationem *Attilenſem* ad annum 1137. demum conſtituendo. *Locus* autem iſte *priſcis temporibus a principibus de Diezin fundatus fuit* iuxta citatam reſtaurationis notitiam: ARNOLDUS autem comes *Dieſſenſis* circa annum 1040. vitam monaſticam in monte *Attilenſi* inſtituit, abrogavit vero eamdem circa an. 1070. *famoſus*, ut aiunt, *apud noſtrates Fridericus* ROCHUS *Dieſſenſis*, & ipſe ARNOLDI fundatoris frater.

Unde coniiciendi mihi ratio naſcitur, qua occaſione FRIDERICUS hic ROCHUS in noſtras terras delatus obierit, aut omnino in bello occubuerit, in monaſterio dein *S. Blaſii* ſepultus, utpote in mauſolæo affinium ſuorum comitum de *Rhinfelden*. Averſa certe, quæ fovit ARNOLDO fratri ſuo ſtudia, quod *Attilenſe* monaſterium attinet, probabile admodum reddunt, quod, licet ARNOLDUS, AVENTINO teſte, a) HENRICO IV. amiciſſi- a
mus extiterit, FRIDERICUS tamen partes RUDOLPHI anticæſaris fuerit ſecutus cum WELFIS ſimili, ſed remotiori adhuc affinitatis vinculo ſibi coniunctis.

V. Idem hic ipſe FRIDERICUS noſter ſator comitum de *Wolfrathshauſen* ſtatuitur, idemque dici poſſe videtur de ducibus *Meraniæ*, iuxta ſchema ſcilicet genealogicum, quod monumenta *Boica* ſiſtunt b): qua de re legendus eſt *David* KOELERUS de ducibus *Meraniæ* ex comitibus de *Andechs* ortis. Nec deſunt, qui ipſum FRIDERICUM *Meraniæ* ducis nomine compel- b

Fuit Sator comitum de *Wolfrathshauſen*; an dux etiam *Meraniæ?*

a) Loc. cit. b) Vol. VIII. p. 298.

pellant, cum apud EKKEHARDUM decanum *S. Galli* apud GOL-
a DASTUM a) iam an. 950. CUNO dux *Meraniæ* legatur OTTONIS M. gener. Neque id abſonum adeo viſum Excell. *Rudolpho* CORONINO in ſuo tentamine genealogico-chronologico pro-
b movendæ ſeriei comitum & rerum *Goritiæ* conſcripto b), unde ad rem ſuam *Gorizienſem* multa impedita explicari queant. Idem quoad noſtrum argumentum valeret, ſiquidem CUNO ille, EKKEHARDO memoratus *Franconicus*, *Meraniæ* & *Lotharingiæ* item dux haberetur: ſed cum titulus ille a medio ſeculo decimo uſque ad medium duodecimum nuspiam audiatur deinceps, miſſo hoc nomine fieri tamen potuit, ut, quas duces *Meraniæ* in noſtris terris ditiones habuiſſe dicuntur, antiquiore poſſeſſione tenuerint, quam ducis *Meraniæ* prærogativam ac nomen, quippe quod primum in BERTHOLDO II. & III. comitibus de *Andechs* ex gente FRIDERICI noſtri notatur in monumentis a P. FRÖLICH
c in ſpecimine archontologiæ *Carinthiæ* c) BERTHOLDI, qui an. 1204. obiit. OTTO I. dux *Meraniæ* ſimul Palatinus *Burgundiæ* fuit, S. HEDWIGIS duciſſæ *Sileſiorum* frater, patruus vero S. ELISABETHÆ *Thuringicæ* natæ ex GERTRUDE eius ſorore, uxore ANDREÆ II. regis *Hungariæ*. OTTONIS I. filius OTTO II. dux *Meraniæ* gentis ſuæ ultimus obiit an. 1248. Videatur hic anonymi monachi *Dieſſenſis* memoria ſepulcralis comitum *Dieſ-*
d *ſenſium* apud laudatum OEFELIUM d).

APPENDIX.

a) Script. *Alem.* P. I. p. 245.
b) pag. 55.
c) P. II. p. 64. &c.
d) Script. rer. *Boic.* T. II. p. 703.

APPENDIX.

I.

FUNDATIO ECCLESIÆ OENINGANÆ.

In nomine Sancte & individue Trinitatis. Otto divina disponente providentia Imperator Aug. Quoniam ad gubernationem, & defensionem Ecclesiarum ordinatione Dei promoti sumus, earundem etiam statuta, iuste & provide moderari debemus. Unde notum facimus tam presentis, quam futuri temporis Christi fidelibus, quod dom. Chuono Comes de Qningen dari sibi privilegium ad Oningensem Ecclesiam, nostram imploravit Serenitatem, quam ipse in honore apostolorum Petri & Pauli, Sanctique Martyris Ypoliti, consensu uxoris suæ Richlinde, filiorumque eius Eggeberti, Liupoldi, Chuononis, Lutoldi in proprio fundo construxit, in qua Canonicos sub Præposito Deo militaturos congregari disposuit: ad quorum usus necessarios predia sua diversis pagis, comitatibus, ac locis sita contradidit: Oningen, Elma, Buhile, Luttoldeshusen, Rieden, Waldewilare, Seppinanch, Beilingen, Gluringen, Gotemundingen, Bibera, Buselingen, Puiron, Watesdingen, Husen, Berselingen, Peringen, Sibelingen, & in villa, que dicitur Locisstetin popularem Ecclesiam cum decimis suis, Lanchingen: & censuales homines cum censuali rure, quod situm est in locis Raffo, Ostrolsingen, Mechtingen, Ulingen, Ansolsingen, Limperhoh, Hila cum mancipiis utriusque sexus cum terris cultis, & incultis, vineis, pascuis, silvis, pratis, piscatione, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, cum quesitis, & inquirendis, & cum omnibus, appendiciis eorum: Predictique Comitis, venerabilis quoque Chuonradi Constantiensis Ecclesie Epi, aliorumque fidelium petitionibus assensum prebentes, maxime tamen pro remedio anime mee, & parentum meorum denotata predia Canonicis Oningensis Ecclesie possidenda, fruendaque concessimus legitime confirmavimus, simulque precepimus, ut nullus Dux, Comes, Advocatus, sive aliqua maior, vel minor persona Canonicis presate Ecclesie audeat quicquam presumptuose inferre, aut possessiones eorum distrahere, diminuere, aut inbeneficiare. Si quis vero, quod absit, temerarius presumptor huius nostri Privilegii confirmationem violare presumpserit, aut inquietare, auri purissimi centum libras eponat dimidium Camere nostre, & dimidium ipsi Ecclesie. Et ut hec nostra regalis traditio stabilis, & inconvulsa omni tempore permaneat, hanc cartam scribi, manuque propria corroborantes Sigilli nostri impressione, iussimus insigniri. An. 965. Ex autographo.

Signum Domini Ottonis magni, & invictissimi Imperatoris Augusti.

Hiltiboldus Epc, & Cancellarius vici Willigisi archi-Cancellarii recognovi. Data Idus Ian. Anno dominice Incarnationis. dcccc.lx.v. Regni vero Ottonis XX. VIIII. Imperii autem IIII. Indict. VIII. Actum feliciter Curie. Amen.

II.

RUDOLPHUS SUEVIÆ DUX IUSSU IMPERIALI POSSESSIONES MONASTERIORUM SS. MARTYRUM FELICIS ET REGULÆ TURICI, ET S. HILARII GLARONÆ CERTIS ET LEGITIMIS FINIBUS DISCERNIT.

An. 1063. Ex autographo.

Quoniam gesta imperatorum sive quorumlibet principum monimentis litterarum credita difficilius labuntur a memoria, cunctis successionibus notum fore volumus, qualiter ego ruodulphus Suevorum Dux quoddam negocium iussione imperiali diligencie mee commissum cum quibusdam de numero principum terminavi. Residente enim domino a) henrico romanorum imperatore augusto in urbe herbipoli plurimo principum collegio ibidem collecto pro statu regni quedam gravis querimonia auribus principum sepius illapsa ab incolis provinciarum b) Uranie & Clarone est exorta. Cives enim Uranie proclamabant se infra terminos facultatum quas pius rex ludewicus monasterio scorum martirum felicis & regule in dotem contulerat & diu legitime possederat violenter a civibus Clarone fuisse invasos. Claronenses quoque culpam inique transgressionis finium possessiones sue provincie terminancium & ad monasterium sci hilarii iure pertinencium uranie incolis obiiciebant. Post longam igitur regis & principum super hac controversia habitam deliberacionem quoniam imperialis sublimitas maximis regni negociis occupata fuit & ad visitandas provincias prefatas vacare non potuit, michi hoc officium vice sua imperator iniunxit. & eandem potestatem qua ipse utebatur super hac lite dirimenda consilio principum consensu & peticione predictarum parcium michi indulsit. & ad maiorem certitudinem & auctoritatem quosdam

a) HENRICO *Romanorum imperatore augusto.* Nemo facile in charta anni 1063. titulum hunc *Romanorum* imperatoris Augusti HENRICO IV. attributum deprehenderit, quem non nisi post suam coronationem a CLEMENTE III. antipapa d. 31. *Mart.* an. 1084. in suis diplomatibus assumsit, neque ante illum annum imperatoris nomen ipsi sive a se sive ab aliis tribuitur. Unde charta hæc RUDOLPHI ad annum 1063. ceu nonum imperii HENRICI III. revocanda foret, nisi partim ipse RUDOLPHUS obstaret, iam ante coronationem HENRICI in prælio an. 1080. occisus, partim annus nonus *regni eiusdem imperatoris* in fine notatus, qui convenit cum an. 1063. quo hæc acta sint, quæ in illa charta memorantur, non autem quod charta hæc eodem anno data sit, quod primum HENRICO iam imperatore factum esse ex dictis suspicari licet; nisi forte ceu Rex iam designatus *Romanorum* imperator hoc axiomate per prolepsin decoretur a RUDOLPHO consobrino suo: id tamen, quod sciamus, exemplis caret. Cæterum de conventu principum apud *Herbipolim* circa ea tempora celebrato silent coævi annalistæ.

b) Extat apud P. HERRGOTT (Geneal. *Habsb.* dipl. T. II. P. I. p. 30.) diploma LUDOVICI *Germani* de anno 853. quo pagellum *Urania & quidquid in eisdem locis* sui *iuris atque possessionis iure proprietatis est* tradit ad monasterium, *quod situm est in vico Turego, ubi S. Felix & S. Regula martyres Christi corpore quiescunt.* De hisce igitur bonis inter sese contendebant *Uranienses* monasterio *SS. Felicis & Regulæ* in *Turego* obnoxii, atque ex altera parte *Glaronenses* qui iure proprietatis ad monasterium *S. Hilarii Seckingæ* pertinebant: de illo enim *Seckingano*, non autem de *Glaronensi* monasterio intelligenda est charta nostra, quum ecclesiam tantum parochialem in honorem *S. Hilarii*, non etiam monasterium *Glaronæ* construxisse memoratur S. FRIDOLINUS.

dam de principibus testes & cooperatores michi adibuit. a) burchardum comitem de a
Nellenburch b) chovnonem comitem de wuluelingen c) arnoldum comitem de len- b c
zeburch, qui tunc utriusque monasterii advocatus extitit. nos igitur regio edicto obedientes partes predictas adivimus & consilio predictorum principum utentes & prudentissimorum utriusque provincie virorum possessiones utriusque monasterii certis & legitimis finibus discrevimus: quos etiam terminos subscribi fecimus, quorum unus est, qui a monte, qui stantonstein vulgo dicitur, usque ad montem qui grapelinon vocatur, & abhinc ad fluvium qui fritarerunst nominatur, & abhinc usq' ad torrentem qui warta vocatur, & abhinc usq' ad medium fluminio linte scilicet; & abhinc usq' ad impetum torrentis qui limerta nuncupatur. que progressio in fluvio murna terminatur. In hunc igitur modum utriusque partis terminacione distincta & firma pace composita imperiali auctoritate hoc promulgavimus. quod si quis hos terminos aliqua temeritate mutare presumeret regie censure subiaceret. Actum est autem anno
dnice incarnationis milesimo tercio d). anno regni eiusdem imperatoris VIIII. II. non. d
maii. feliciter. amen.

Locus Sigilli,
quod in fronte huius libri æri incisum cernitur, unacum numo RUDOLPHI plumbeo, qui in horto apud ecclesiam S. Crucis extra urbem *Turicensem* repertus est.

a) BURCHARDUM comitem de *Nellenburg* nullibi in suis chartis sistit P. HERRGOTTUS (L. c.) apud quem ad annum 1150. primus de *Nellenburg* occurrit comes. EBERARDUS in diplomate CONRADI III. quo mons *Stoupben* inter monasteria *Schafhusense* & *S. Blasii* controversus posteriori adiudicatur. (L. c. p. 174.) Qui adeo diversus est ab EBERHARDO comite *Nellenburgensi*, qui seculo XI. monasterium *S. Salvatoris Schafhusæ* fundavit; ubi quoque memoratur BURCHARDUS comes de *Nellenburg*, qui unacum abbate SIGFRIDO ecclesiam ibidem construxerit, anno 1104. a GEBHARDO III. *Constantiensi* episcopo dedicatam: qui per ætatem is ipse potest esse BURCHARDUS, in hac RUDOLPHI charta testis notatus.

b) CUNONEM hunc nobis sistit BERTHOLDUS *Constantiensis* in appendice ad chronicon HERMANNI *Contracti* apud URSTIS. Script. *Germ.* P. I. p. 367. ubi ad an. 1092. hæc habet: *In Alemannia* CUNO *comes de Wulfelingen, strenuissimus miles S. Petri, diem clausit extremum idibus Octobris, & in monasterio (Zwifultensi) quod ipse cum fratre suo comite* LUITOLFO *in proprio allodio fundaverant, honorifice sepelitur.* Dicti sunt alias comites de *Achalm*, de quibus plura refert P. *Arsenius* SULGER in annalibus *Zwifaltensibus* P. I. p. 3. 10. &c. castrumque *Wulflingen* in *Turgovia* collocat, ubi amplas habuere possessiones, ibique etiam mortuus est CUNO (L. c. p. 24.).

c) Longe celebrior extitit familia comitum de *Lenzburg* in *Argovia*, de quibus passim agunt auctores, interque eos HERRGOTTUS Geneal. *Habsb.* T. I. L. I. c. 8. qui etiam T. II. P. I. ARNOLDUM sive ARNOLFUM II. comitem de *Lenzburg* in tribus chartis an. 1036. 1045. & 1050. sistit, ac idem esse videtur, qui hic in nostro diplomate utriusque præfati monasteril advocatus dicitur.

d) Vide supra p. 8. ubi chartam anno 1063. vindicavimus.

III.
MONASTERIUM RHENAUGIENSE LIBERTATI RESTITUTUM.

An. 1067. Ex Autographo.

In nomine ſancte & individue Trinitatis. Heinricus divina favente clementia Rex. Noverit omnium tam preſentium quam & futurorum induſtria, qualiter Rumaldus *Conſtantienſis* epiſcopus impetravit a nobis in beneficium quoddam monaſterium, quod *Rinaugia* dicitur, ſed poſtea Gerunous eiusdem monaſterii abbas venerabilis obtulit obtutibus noſtris quasdam immunitates, quibus inſertum erat, qualiter antedictum monaſterium a poteſtate parentum noſtrorum Regum videlicet & Imperatorum, nec non & patris noſtri pie memorie Heinrici Imperatoris Auguſti, eſſet conſtructum, atque pleniſſima libertate roboratum. Quorum morem etiam nos imitantes predictum monaſterium, ipſe etiam epiſcopo in id conſentiente, multumque nos ſuper hac re eſſlagitante, proprie libertati conceſſimus, ut ex hac die & deinceps neque epiſcopus, neque ulla alia perſona eundem abbatem, eiusque ſucceſſores ſeu fratres inibi degentes audeat inquietare, ut liberi, & quieti pro noſtra ſalute omnipotenti Deo die noctuque preces valeant effundere. Et ut hoc noſtre auctoritatis preceptum per ſuccedentia tempora firmius habeatur, & diligentius obſervetur, propria manu firmavimus & ſigilli noſtri impreſſione ſigillari iuſſimus.

Signum domini Heinrici IV. Regis.

Sigehardus cancellarius vice Sigefridi archicancellari recognovi. Data VI. id. Iun. an. Dom. incarnationis milleſimo ſexageſimo ſeptimo. Indict. V. anno autem ordinationis domni Heinrici IV. regis XV. regni vero XI. Actum *Augee* feliciter. amen,

IV.

CHARTA HENRICI IV. IMPERATORIS IN GRATIAM EPISCOPI LAUSANNENSIS.

An. 1079. Ex Autographo.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente Clementia Rex. Fide & veritate hominis, gratia Dei, favor Populi, munificentia Regum & largitatis omnium comparatur charitas. In quibus dum venerab. nobis Burchardus S. *Lauſann.* eccleſiæ epiſcopus præ cæteris placuit adiunctius, ſervivit diligentius, adhæſit familiarius, eius tam acceptabile quam fidele ſervitium reſpeximus, & ſi quas eccleſiæ ſuæ res, ut ſit plerumque, largius inſumpſerat & attriverat, ob remedium ſuæ noſtræque culpæ ſupplevimus. Omnium ergo tam futurorum quam præſentium cognoſcat induſtria, qualiter nos ea, quæ dedimus ratione S. Dei Genetricis Mariæ, prædictæ eccleſiæ auxiliatrici potentiſſime, prædia & curtes has, *Muratum*, *Luſtriacum*, *Carbariſſam*, *Curſie*, *Cubiſaca*, *Leuconaries*, & quidquid *dux* Rodulphus *ob multas in nos regnumque nefandas præſumptiones, omni divina & humana lege, tam vitæ quam rerum proſcriptus & dampnatus*; quidquid vero ipſe, ſuique infra fluvium *Sanuna* & montem *Iovis* & pontem *Gevenenſem*, & infra montana *Iuræ* & *Alpium* habuerunt;

cum

cum omnibus appenditiis, hoc est, utriusque sexus mancipiis, areis, ædificiis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, sylvis, venationibus, aquis, aquarumque decursionibus, molis, molendinis, piscationibus, viis & inviis, exitibus & reditibus, & cum omni utilitate, quæ ullo modo inde provenire poterit, in proprio tradimus, tradendo firmavimus; cuius traditionis testem hanc chartam scribi, & propria manu corroboratam, ut infra videtur, sigillo nostro duximus insigniri.

Signum Dni HENRICI IV. Regis invictissimi.

GERHARDUS cancellarius & episcopus recognovi.

Dat. anno Domini MLXX. Indictione II. anno autem ordinationis Dni HENRICI IV. Regis invictissimi XXV. regni XXIII. *Spiræ* acta, feliciter. Amen. a)

Operæ pretium arbitramur, diplomatis huius confirmationem a CONRADO rege III. an. 1145. factam hic subiungere, ex eodem archivio *Bernensi* suppeditatam.

a) Omnino legendum an. MLXXIX. nam eo anno erat Indictio II. ut hic notatur: Præterea annus ordinationis HENRICI 25.*us* & Regni 23.*us* est 1079. Patre enim vivente ordinatus est Imperator, puer quinquennis, anno Christi 1054. ut docet SIGEBERTUS: & Patri defuncto successit anno 1056. Denique quod caput est rei RUDOLPHUS *Sueviæ* Dux, anno demum 1077. Imperii æmulum se præbuit, non poterat ergo nefandarum præsumptionum, ut hic fit, ante reus peragi.

V.

CHARTA CONRADI IMPERATORIS IN GRATIAM EPISCOPI LAUSANNENSIS.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CONRADUS divina favente Clementia *Romanorum* Rex secundus. Iustitiæ definitio est constantem & perpetuam habere voluntatem unicuique tribuendi, quod sibi de iure competit. Quam virtutem cum omne hominum genus partim a natura, partim institutis legalibus edoctum colere semper & exercere habeat, præcipue tamen Regia dignitate congruit, talem animi habitum immutabiliter induere. Eis autem personis nostra dignatio in omni pietatis & æquitatis defensione propensiorem debet adhibere benevolentiam, quæ divinis sincerius mancipatæ sunt obsequiis, & nobis in administratione Regni sollicite agentibus & orationis mundæ beneficio, & veracis consilii subsidio, & indefesso laboris studio, assistunt. Eapropter omnium tam futurorum tam præsentium noverit industria, qualiter nos ob regni nostri firmam stabilitatem & animæ nostræ nostrorumque parentum perpetuam salutem, nec non & interventu & petitione AMADEI venerabilis *Lausannensium* episcopi, eamdem *Lausannensem* ecclesiam sub nostro defensionis patrocinio suscipimus, & omnes possessiones eidem ecclesiæ pertinentes, & nominatim *Muratum*, *Lustriacum*, *Carbarissam*, *Corsie*, *Cubizacha*, *Leuconares*, & quidquid dux RUDOLPHUS *ob multas in regnum tempore prædecessoris nostri* HENRICI *imperatoris nefandas præsumptiones omni divina & humana lege, tam vitæ quam rerum proscriptus & damnatus*, & quidquid ipse suique infra fluvium *Sarina* & montem *Iovis* & pontem *Gebennen-*

An. 1147. Ex Archiv. *Bernensis* civitatis.

nensem, & infra montana *Iurium* & *Alpium* habuerunt, cum omnibus apenditiis, sicut in privilegio præfati HENRICI continetur, prædicto venerabili episcopo & ecclesiæ *Lausannensi* regia authoritate confirmamus. Præterea omnes donationes a LAMBERTO, qui eidem ecclesiæ præesse videbatur, de rebus ecclesiæ factas, viribus carere decernimus. Edicto regali præcipientes, ne aliqua persona magna sive parva de rebus *Lausannensis* ecclesiæ occasione donationis LAMBERTI quicquam retinere audeat, sed præfatus episcopus suique successores omnes res illas, sine alicuius contradictionis molestia deinceps libere ac pacifice obtineant. Et ut hæc nostra confirmatio rata est stabilis permaneat, hanc in chartam scribi & sigilli nostri impressione insigniri iussimus, & testes qui præsentes aderant, subtus notari fecimus, quorum nomina hæc sunt, HENRICUS *Mogontinus* archiepiscopus, ALBERO *Trevirensis*, ARNOLDUS *Coloniensis*, BURCARDUS *Argentinensis*, BAVO *Wormatiensis*, SYFRIDUS *Spirensis*, WIBALDUS *Stabulensis* abbas, HENRICUS *Herveld.* abbas, FOLNANDUS *Laurisbamensis* abbas, RUOTHARDUS *Euverbatensis* abbas, EMICO *Chonagensis.* FRIDERICUS dux *Suevorum* & filius eius FRIDERICUS, DIETHELMUS comes de *Luxemburg*, EMICO comes de *Liningen*, VOPPO comes de *Henneberg*.

Signum Dni CONRADI *Romanorum* Regis secundi.

Ego ARNOLDUS cancellarius vice HENRICI *Moguntini* archiepiscopi & archicancellarii recognovi.

Anno Dominicæ Incarnationis MCXLV. Indict. VII. regnante CONRADO *Romanorum* Rege secundo. Anno vero regni eius octavo. Data est *Wormatia* in Christo feliciter. Amen.

VI.

DONATIO PRÆPOSITURÆ IN HERZOGENBUSCH, FACTA AB AGNETE UXORE BERTHOLDI II. ZARINGENSIS.

An. 1108. Ex chartulario monasterii *S. Petri.*

In nomine sancte & individue Trinitatis amen. MCVIII. Domina AGNES filia Domini RUDOLFI Regis de *Arle* nutrix BERTHOLDI Ducis de Zaringen in Brisgaudia contulit monasterio sancti Petri de monte in nigra Silva Constantiensis Dyocesis Ordinis sancti Benedicti Curiam in *Herzogen Buchs* cum omnibus appendiciis suis videlicet omnibus silvis agris pratis pascuis nemoribus Ecclesiis *Buchse Geberg* & *Huttwyl* ac diversis villis prædictæ Curiæ attinentibus cum omni iure ac libertate qua ipsam iure proprio possederat secundum formam subscriptam vulgariter notatam.

Item diß sind des Hofs Recht zu Herzogen Buchs daz Gerichte sol vor dem Hoff sin, und der Herr in dem Hoffe der sol by dem Richter sitzen &c. &c.

VII.

EXCERPTA EX CHARTA SEU NOTITIA FUNDATIONIS MONASTERII BUOSONISVILLÆ.

In

In Lotharingiæ Ducatu est Præfectura nomine Buozonville, *ac oppidulum eiusdem nominis gallici, germanice autem* Busendorff, *in Diocæsi Metensi, cum abbatia* a) *Ord. S. B. quam intravit Papa Leo IX. & muneribus privilegiisque ornavit. Fuerat ea fundata anno* 1030. *a Comite Adelberto, Avo Gerardi Alsatiæ.*

Charta fundationis Buosonisvillæ est proprie notitia data anno 1123. *continetque eventus huius abbatiæ a die dedicationis per Theodoricum II. ep. Metens. fratrem S. Chunegundis anno* 1033. *cum nominibus Benefactorum e stirpe Ducum Lothoringiæ. Vulgari more narrat Anonymus monachus fata monasterii, sed unum vel alium anachronismum commisit. Adest etiam in ultima parte huius notitiæ lacuna. Hieronymus* Vignier, *Congregationis* Oratorii *Sacerdos, vir eruditione clarissimus, hanc chartam per fragmenta sibi tamen cohærentia vulgavit ad probandos genealogicos gradus, in eximio opere,* in folio, *cuius titulus:* b) La veritable origine des maisons d'Alsace, de Lorraine, d'Austriche, de Bade & de quantitè d'autres. Paris 1649.

Eandem Cartam vulgavit inter Probationes Historiæ Lotharingiæ Tomo primo c) *abbas Augustinus* Calmet, *qui eam hisce designavit verbis:* Recit de la fondation de l'abbaye de Sainte-Croix de Bouzonville, copièe sur un ancien titre en velin, partagè en quatre colomnes. Cette copie est plus ample & plus correcte que celle qui se lit dans les archives de Lorraine & qui est imprimèe par pieces dans le Pere Vignier. Elle commence ainsi. *In libro Ecclesiastes, ut verba Salomonis perhibent, omnia tempora tempus habent, interdum tempora bona peioribus, & econtra mala mutantur melioribus. Florente adhuc copia mundi Adalbertus Comes, & uxor sua Uditha, omnem spem salvandæ animæ ponentes in Domino, ipse perrexit Ierosolymam &c.*

Eandem cartam idem Vignerius *tali inscripsit fronte, quam fere medio textui inseruit* Calmetus.

Anno ab incarnatione dominica MXXXIII. Indictione I. Epacte XVI. concurrente VII. pridie Kal. Februarii, regnante Imperatore Conrado, rogante glorioso Comite Adalberto una cum optima ac christianissima Coniuge sua Iuditha, dedicatum est oratorium a sancto ac venerabili Metensi Episcopo Deoderico II. in honorem victoriosissimæ Crucis & sanctæ Mariæ perpetuæ virginis, ac sancti Petri ac multorum Sanctorum, quorum inclytæ reliquiæ, in eodem reconditæ, & in veneratione omnium Sanctorum Dei. Comes præfatus eodem die de foro Tullensi, centum solidos & viginti denarios tradidit, pro dote dedicatæ Ecclesiæ.

In libro Ecclesiastes. Ut verba Salomonis &c. (ut iam retulimus) Florente adhuc copia mundi Adalbertus Comes Marchio, & uxor eius Iuditha, omnem spem salvan-

a) Memoire sur la *Lorraine* & le *Barrois*. Suivi de la Table alphabètique & Topographique des lieux. *Nancii* 1753. en 40. pag. 221.

b) 10. 97. 99. 102. 106. 109. & 110. atque inde nobiscum hæc communicavit Ill. B. de Zurlauben, remque illustravit libro *Gallico* cui titulus *Tables genealogiques des Augustes Maisons d'Autriche & de Lorraine* Parisiis an. 1770.

c) Histoire Ecclesiastique & Civile de *Lorraine* T. I preuves p. 543-546. *Nancii* 1728. in fol. avec fig.

vandæ animæ ponentes in Domino, ipse perrexit Hierosolymam, propter sancti sepulchri amorem. Ipsa interim domi residens monasterium Bosonisvillæ construxit reverendæ Crucis in honorem. Comes autem dum Hierosolymam pervenisset, studium uxoris suæ non celavit auribus Domini Patriarchæ, qui sibi cum aliis reliquiis dederat partem non modicam dominicæ crucis. Unde nimium gavisus est ut est in patriam reversus, mox Theodoricum Metensem Episcopum, ut in honorem sanctæ Crucis præfatum benedixisset locum, quem prius allodiis & mancipiis utriusque sexus liberalissime donavit, rebusque ecclesiasticis auro vel argento exornavit, congregans illic monachos, qui Deo & Sanctis eius servirent studiose, datis eis victus ac vestitus necessariis copiose. His ita rite dispositis, Comes supradictus post annum moriens, in choro
a sanctæ Crucis est sepultus, & uxor eius Iuditha in medio monasterii sepulta. a)

His ita dispositis Comes supradictus post annum, moriens, in choro sanctæ Crucis est sepultus, & uxor sua Iuditha iu medio monasterii sepulta. Successitque eis Gerardus Comes & Marchio filius, qui cum uxore sua Gisilia locum præfatum omni custodiens diligentia, monachis præposuit eruditum virum abbatem Euononem,
b cuius consilio invitavit Romanum Pontificem Leonem, b) qui altare sanctæ Crucis ponti-

a) CALMETUS nos docet (p. 1008.) Comitem ADALBERTUM de quo præsens *Buosonisvilla* notitia agit, fuisse fratrem GERARDI Comitis *Metensis* & ADELAIDIS, quæ mater erat imperatoris CONRADI *Salici*. Illiusque coniugem IUDITHAM, fuisse sororem SIGEFRIDI, primi Comitis *Luxemburgi*, & GODEFRIDI Comitis *Virdunensis*, & THEODORICUM Episcopum *Metensem* qui dedicaverat Ecclesiam *Bosonisvilla* alias *Sancta Crucis* die ultimo *Febr.* 1033. id est 1034. ante Pascam, fuisse præfati Comitis ADALBERTI Nepotem. Idem Doctissimus CALMETUS observavit novum illud monasterium fuisse datum vel commissum sancto POPPONI (Vita B. POPPONIS secul. VI. Benedict. p. 585. apud MABILLONIUM.) Abbati *Stabulensi* (*Stavelo*) qui Strenuus Ordinis Benedictini Reformator, illuc misit monachorum turbam quibus pro abbate præposuit suum discipulum COUONEM, male a quibusdam dictum EVONONEM.

Obitum Comitis ADALBERTI CALMETUS (Ibid. *preuves* p. 543.) asserit evenisse uno anno postquam monasterium *Bosonisvilla* dotaverit, scilicet anno 1037. vel 1038. non autem uno anno post Ecclesiæ dedicationem, id est 1034. cum idem Comes adhuc vixerit anno 1037. Quæ sequuntur GERARDUM attinent ADALBERTI filium cuius uxor fuit GISELA GERARDI I. *Egisheimensis* Comitis filia, quam supra p. 93. prius nuptam diximus CUNONI avo RUDOLPHI, an. 1012. in *Sasenbart* occiso.

b) BRUNONEM, *Tunc Tullensem Episcopum* qui post mortem GERARDI Comitis factus est Papa LEO IX. anno 1049. ut abb. CALMET. notavit, atque per anticipationem (ut observavit VIGNERIUS p. 99.) locutus est scriptor illius chartæ de Papa LEONE IX. qui fuit creatus summus Pontifex die 12. *Februarii* 1049. antea *Tullensis* Episcopus, nomine BRUNO qui invitatus fuerat a Comite GERARDO qui obierit 1046. Cum autem *Bousonville* non in Diœcesi *Tullensi*, sed in *Metensi*, sita sit, quomodo *Tullensis* Episcopus monasterio extra suam diœcesim posito tanta privilegia ausus fuerit concedere, Captu difficile est, hæc verba, *Apostolica Authoritate anathematisatus esset & damnatus*, proprie designant LEONEM *Romanum Pontificem* tali auctoritate præditum, non autem simplicem Episcopum, & hæc præsumptio evidentior videtur, cum legerimus in fine eiusdem notitiæ *Buosonisvilla: Comitem scilicet* THEODORICUM, *piæ memoriæ Maioris ducis filium, qui benigne clamorem fratrum audiens & familiæ sanctæ Crucis, Kartam domini* LEONIS *Papæ, & avi sui* GERARDI *fecit legere coram se ac principibus suis &c.* Anachronismi notatur scriptor chartæ *Bosonisvillana* hic, quod scripserit LEONEM IX. P. qui antea BRUNO dictus ex comitibus de *Egisheim* factus fuit episcopus *Tullensis*, a GERARDO GISILÆ marito in monasterium *Bosonisvill.* vocatum fuisse, qui ante finem anni 1048. papa non fuerit electus, atque tum anno 1049. mense *Februario*

tificalibus decoravit donis. Monachis & cæteris atrio eiusdem loci degentibus pacem firmam bannivit, adeo ut ſi quis ei violentiæ aliquid, vel manum poteſtativam feciſſet, apoſtolica authoritate anathematiſatus eſſet & damnatus. Conſtituit autem ad hæc Comes præfatus, monachorum familiæ defenſorem, virum nobilem (*alias* pro ſe) quem fideli hominio admonebat, ut familiam e ſervili conditione libertati nuper datam honeſtius tractaret, & ſicubi opus eſſet, adiuvaret, nihilque ab eis exigeret, niſi per annum ter, iudicio vel decreto Scabinorum. Si aliquid concionando ſibi acquirerent, una pars ſibi, duæ cederent abbati.

Tali ergo moderatione a) curam diſponens eiusdem familiæ duodecimo anno poſt mortem patris defunctus b) uxorque ſua Giſela c) in choro ſancti Petri eſt ſepulta, ſuccedentibus ſibi filiis Deoderico d) videlicet Comite & Gerardo e) duce. Iſti namque parentum ſuorum liberalitatem ſequuti, fratres & familiam eis datam benevolentia cuſtodire omni conati ſunt. Sed immature vitam morte mutauere, & dominium &c.

Et poſtea inferius, ut Vignerius p. 102. notavit, eadem in notitia Boſonisvillæ legitur: Hæc ſunt nomina virorum ac defunctorum fratrum, quæ ſcripta a Deo (*Calmet* adeſſe) videntur in libro vitæ cœleſtis, quorum allodio vel eleemoſyna iſtæ ſanctæ Crucis locellus bene eſt fundatus. Adelbertus Comes atque domina Iuditha eius inſignis fœmina. Gerardus Comes, Giſla & illius proles inclyta. f) Adalbertus, Gerardus, Conrardus, Adalbero, Beatrix, Cuno, Giſilia, Ituoda (*Calmet* Iſedda) abbatiſſa, Azelinus, Ida, Adelech (*Calmet* Adeleth *legit*), *atque hunc locum immediate retulit poſt verba initio allata* anno ab Incarnatione Domini MXXXIII. &c.

Et

conſecratus. Equidem manifeſtus eſt error huius ſcriptoris, dum chartam Leonis IX. in eadem *Boſonisvilla* iam anno MXLVI. Indict. XIV. recitatam fuiſſe commemorat, niſi pronus ac facilis hic error calami ſeu ſcribæ agnoſcatur. Quod alterum vero attinet, ſcriptor ab anachroniſmo immunis dici poteſt. Diſcimus enim ex Calmeto p. 9. quod Adalbertus pater Gerardi, quem primum nominat (nos tamen cum Schoepflino ſecundum dicimus) obierit an. 1037. vel 38. Gerardus autem eius filius an. 1047. decem poſt patrem annis; qui tamen in charta diſtincte dicitur *duodecimo anno poſt mortem patris defunctus*. Quodſi iam ab anno 1038. quem Ill. B. de Zurlauben morti Adelberti, aſſignat computemus annos duodecim, Gerardus adhuc an. 1050. in vivis fuit: certe ſub Leone IX. P. *Boſonisvillæ* adeſſe potuit an. 1049. quo anno, die vero Decembris undecimo dedicationem factam fuiſſe Mabillonius docet T.V. Annal. Ord. S. Bened. in vita S. Leonis IX. p. 505. 506. Quæ ſequitur Giselæ proles ad tertium gradum ſtemmatis *Lothar.* in hac charta aſſertum ſpectat.

a) Legebat Calmetus moderamine.

b) Et in choro ſanctæ Crucis ad latus Patris eſt ſepultus, (ita Calmetus).

c) Giselia (legebat Calmetus).

d) Deodelrico (ſecundum Calmetum).

e) Gerhardo (Calmet).

f) Ad cenſum noſtrum, familiam nempe comitum de *Rhinfelden*, de qua agimus cap. III. p. 84. pertinent ex hac numeroſa Giselæ prole Cuno Rudolphi pater, quem anonymus *Murenſis* Theoderici & Itæ *Lotharingicæ* fratrem nobis ſiſtit, & quidem Itæ uterinum ex Gisela, quæ duos maritos habuit Cunonem & Gerardum, illum avum, ut opinati ſumus p. 93. &c. Rudolphi: cuius etiam amita Adelheidis Ludero *Stadenſi* nupta ut ſupra p. 102. hic occurrit Adeleth. Taceo Adelbertum, & Adelberonem, quorum alteruter, ut hic inter numeroſam Giselæ prolem locum habet, ſi Rudolphum artineret, patruus foret Rudolphi non frater, qualem ſcriptores aſſerunt epiſcopum *Wormatienſem* Rudolphi fratrem, ut ſupra pag. 115. legere eſt.

X

a Et dominium Buosonvillæ suscepit dux Theodoricus, a) puer parvulus Gerardi ducis
filius, qui dum in curia Adalberonis Metensis Episcopi nutriretur, rogavit præsul pue-
rum, ut sibi commutaret Buosonvillæ cœnobium pro castro Commerciaco. Quod &
fecit, retinens sibi, posterisque suis, suam advocatiam loci hæreditario iure. Firma-
ta est igitur hæc commutatio inter Metensem Pontificem, ac Theodoricum ducem,
coram monachis & clericis, & principibus multis, ea conditione videlicet, ut quem
parentes sui communi electione fratrum ac conventus sanctæ Crucis hucusque consti-
b tuerant, deinceps rite & canonice ductum reservarent. Nicodemus b) Episcopos Me-
tenses investitura donet, & benedicere debebit in futurum stabilienda ratione. Ab-
bas Rainerus constitutus est ab Episcopo Metensi, venerabili Popone sine interroga-
c tione c). Abbatis namque huius temporibus bona tempora mutata sunt peioribus,
quia familia sanctæ Crucis variis tribulationibus oppressa est & angustiis duris. E-
iusdem defensores facti sunt raptores & rerum invasores, auferentes ab eis dictam
pecuniam annuæ, pabulum, vestitum, hospitium. Unde paupertate coacta petit
d exilium. d) Monachi autem rusticis abeuntibus qui terras excolerent, non habenti-
bus

a) Concurrit THEODORICUS puerulus in gradu affinitatis cum RUDOLPHO *Rhinfeldensi* utpote nepos uterinus ex GISELA GERARDI I. *Egisheimensis* filia: unde quem CALMETUS primum facit, SCHOEPFLINUS GERARDUM secundum nominat avum huius THEODORICI secundum GISELÆ maritum an. 1012. post mortem primi mariti CONRADI seu CUNONIS I. quem SCHOEPFLINUS comitem *Ortenaviæ* putat in *Alsatia* diplomat. fisci nimirum, avum RUDOLPHI GISELÆ maritum primum patrem CUNONIS II. & ADELHEIDÆ amitæ RUDOLPHI, quæ in charta *Bosonisvill.* cum CUNONE hoc II. numerosæ GISELÆ proli connumeratur perinde ac THEODERICUS, GERARDUS III. de *Alsatia* dictus, & ITA eiusdem CUNONIS II. uterini ex GERARDO II. marito secundo, GISELÆ avunculo, quippe quæ filia fuit GERARDI I. *Egisheimensis*, circa annum 1017. mortui, cuius uxor fuerat filia SIGEFRIDI comitis de *Luxemburg* soror S. CUNEGUNDIS uxoris S. HENRICI II. Imp. Porro ADELBERTI etiam fundatoris, qui fuit GERARDI huius pater, uxor IUDITHA ex eadem stirpe *Luxenburgica* fuit eiusdem S. KUNEGUNDIS matertera, mater etiam ADALBERTI II. ducis *Lotharingiæ Ripuariæ* an. 1048. occisi per ducem GODEFRIDUM inferioris *Lotharingiæ* ducem. Monasterium autem *Bosonisvillanum* dedicari curatum fuit an. 1033. ab ADALBERTO I. patre per THEODERICUM II. *Metensem* episc. S. KUNEGUNDIS fratrem.

Schema porro genealogicum ex charta *Bosonisvill.* cui genealogum *Murensem*, ex quo mox plura, ad rem nostram iungimus, hoc prodit

ADALBERTUS I. † 1038.
|
CUNO I. † 1012. ux. GISELA — GERARDUS II. † 1050. eadem uxor GISELA
|
CUNO II. — GERARDUS † 1070. THEODORICUS. ITA
|
RUDOLPHUS — THEODORICUS. † 1115.

b) Eadem semi lineæ lacuna ob detritum Autographi pergamenum adest in apographo CALMETI, qui hæc observavit de præsenti NICODEMO, *idem procul dubio ac* HERIMANNUS *episcopus Metensis successor* ADALBERONIS *&* *prædecessor* POPONIS, *nam nullus extat* NICODEMUS *inter episcopos Metenses.* Porro autem taliter legebat idem Eruditissimus abbas: -- *Canonice electum reservarent.* .... NICODEMUS *episcopus Metensis investituram donet, ac benedicere debebit in futurum stabilienda ratione.*

c) *Legebat ad marginem* VIGNIERIUS. Sine interruptione.

d) Idem VIGNIERIUS ad marginem hic notavit. *Petit auxilium.*

bus unde viverent, clamaverunt ad Dominum, qui dedit eis liberalissimum patronum, Comitem scilicet Theodoricum piæ memoriæ maioris Ducis filium, qui benigne clamorem fratrum audiens & familiæ sanctæ Crucis, kartam Domini Leonis Papæ, & avi sui Gerardi fecit legere coram se ac principibus suis, quæ nihil quæstus advocatis in familiam sanctæ Crucis ostendit, nisi tria comitia per annum, in quibus quidquid iudicio vel decreto Scabinorum conditionaliter fuerit concionatum, duas partes abbatis Villicus, tertiam partem accipiet advocatus. Quæ omnia benevolo Theodoricus Comes suscipiens animo, coram omnibus principibus interdixit advocatis, & eorum ministerialibus sub obtentu beneficii, ut nullam exactionem, nullam violentiam, nullamque iniustitiam monachis ulterius, & familiæ suæ ingessissent, si dominio suo & amicitia perfrui voluissent. Ut autem istud ratum maneret & indiscussum, adhibiti sunt plures testes nobilium. Dominus Vigericus d'Euualecourt, Ioh. de Ditenhof, Walterius de Ernesdorf, Gotofredus de Disurt, Hezel advocatus Alsatiæ, Adalbertus, Albericus fratres eius. De familia Theodorici comitis. Hermannus Dapifer, Drouim gener eius, & Stephanus frater eius. De familia eiusdem loci Bencelinus ministrator Comitis, Radin & Bencelinus filius eius, Walturam de Filzdorst.

Acta sunt hæc omnia in eadem Buosonis-villa, an. dominicæ incarnationis MCXXIII. Indict. I. anno II. Domini Stephani Metensis Ecclesiæ Episcopi.

VIII.
EX GENEALOGO ACTIS MURENSIBUS PRÆMISSO. a)

Ita est genealogia nostrorum Principum b). Theodricus Dux Lotharingorum & Chouno Comes de Rhinfelden fratres fuerunt: horum soror fuit Ita, comitissa de Habs-

a) Ex editione an. 1750. opera P. *Fridolini* KOPP monachi *Murensis*, postea eiusdem monasterii Abbatis Sacrique *Rom.* Imp. Principis, post PEIRESKIUM & P. HERRGOTTUM ad ipsum Msc. *Murense* curatissima.

b) Mirari hic licet studiosum selectum in Genealogo hoc *principum*, inquit, *nostrorum* fundatorum scilicet monasterii *Murensis*, ex gente equidem *Habsburgica*; quin tamen hic GUNTRAMMNI, LANZELINI, RADEBOTONES sistantur; nec quidem WERNERUS I. ep. *Argentoratensis* arcis *Habiburgicæ* conditor, a quo nomen inditum fuit augustæ huic familiæ; sed THEODERICUS *dux Lotharingorum* agmen ducit: mox CHOUNO *comes de Rhinfelden* memoratur, tum *horum soror* ITA *comitissa de Habspurg* REPARATRIX HUIUS MONASTERII. Quibus his in verbis grati erga hanc ITAM animi ratio explicatur in ipsis actis *Murensibus*, quibus Genealogia hæc præmititur. Narratur quippe p. 8. &c. RADEPOTONEM *Habiburgicum*, *cum sibi congruum visum est*, *ut uxorem duceret*, accepisse *de partibus Lotharingorum uxorem nomine . . . postpositisque aliis prædiis suis*, *quæ rectius tenebat*, *dedit illi hunc locum* (Mura) *in dotem:* quem nempe prius in monasterium destinatum, sed a RUDOLPHO fratre RADEBOTONIS stirpatum RADEPOTO sibi proprium vindicaverat; ITA vero in dotem a marito acceptum, religione ducta rei certior facta restituere ac restaurare monasterium apud se constituerat. Frustra primum illa in partes curarum vocavit RADEBOTONEM maritum, atque etiam *comitem* CHOUNO *fratrem suum de matre*, *patrem autem* RUODOLPHI *regis*, eundem, quem Genealogus vocat CUNONEM comitem de *Rinfelden* fratrem THEODERICI. Hic ab ECCARDO & aliis venditatur filius FRIDERICI, qui iam an. 959. fuerat creatus dux superioris *Lotharingiæ:* facta a BRUNONE archiep. *Coloniensi* fratre OTTONIS M. Imp. cui post CONRADUM *Lotharingia* obtigerat, eiusdem divisione in superiorem

Habspurg, reparatrix huius Murensis cœnobii. Genuit autem Theodricus Gerardum Ducem. Ille vero genuit Gerhardum de Egisheim patrem Uodelrici & Stephani. Chouno comes de Rhinfelden genuit Ruodolphum regem. Et ille genuit Agnetem matrem Cuonradi Ducis. Ita de Habspurg genuit Wernerum Comitem &c.

IX.

FRIDERICUS BARBAROSSA POSSESSIONES ECCLESIÆ OENINGANÆ CONFIRMAT.

An. 1166. Ex Autographo.

In nomine sancte & individue Trinitatis, Fredericus divina favente clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Quoniam Deus, per quem reges regnant, in solio regni sedere nos fecit, & ad imperii fastigium sublimavit, decet imperialem nostram clementiam ecclesias Dei tanto nos honorare impensius, quanto pro his a Deo bonorum omnium speramus cumulatius remuneratore mercedem.

Unde noverit omnium tam futuri quam presentis fidelium nostrorum industria, qualiter nos sacre religionis intuitu ecclesiam in honore apostolorum Petri & Pauli, sanctique martyris Ypoliti in Oningen constructam, & a progenitoribus nostris initiatam & fundatam, divino cultui mancipamus, & preter illas possessiones, quas parentum nostrorum antiqua donatione possederat, noviter collatis quibusdam proprietatibus nostris ditavimus, donando ei curtem nostram in Oningen cum omni iure & utilitate, sicut nos eam habuimus.

Antique autem possessiones sunt hec, quas nos imperiali auctoritate, & iure proprietarie donationis eidem ecclesie confirmamus. Oningen, Elma, Buhile, Lutoldeshusen, Rieden, Walde, Wilare, Beilingen, Bluringen, Bodemundingen, Bibera, Buselingen, Puiron, Waterdingen, Husen, Berselingen, Beringen, Sibelingen, Cattenhorn,

hanc *Mosellanam* & inferiorem *Ripuariam*. Unde etiam FRIDERICUM hunc de *Rinfelden* compellant, sed ut supra p. 88. notavi, errorem dedocti ab abb. CALMET, & aliis: dum iam ope chartæ fundationis *Bosonisvillanæ* certam & assertam habemus Augustæ Gentis *Lotharingicæ* propaginem ab ADALBERTI I. marchionis *Lotharingiæ* filio, ut paulo ante vidimus, GERARDO II. eiusque uxore GISELA GERARDI I. qui fuit secundi patruus, filia. Ex cuius numerosa prole, partim ex secundis nuptiis cum mox memorato GERARDO II. partim ex primis cum avo RUDOLPHI de *Rhinfelden* CUNONE suscepta, recensita in laudata charta *Bosonisvillana*, censentur in succenturiato hoc opportune ad modum chartæ illi Genealogo *Murensi* in fronte statim THEODERICUS CUNO frater ac soror uterina, ut ex actis *Murensibus* patefit, ITA. Mox vero THEODERICUM hunc GERARDO fratri substituit, qui gradu tertius *de Alsatia* nomen habet, in qua castrum *Egisheim* locum habet, a quo nomen indit Genealogus GERARDO IV. tertii filio, qui etiam primus *Vaudemontii* comes dicitur, stipes nimirum rami huius in arbore genelogica gentis *Lotharingiæ*: cuius primum ex GERARDO germen genealogus ponit UDALRICUM & STEPHANUM. Tum post CUNONIS filium RUDOLPHUM, & neptem AGNETEM uxorem BERTHOLDI II. ducis *Zaringiæ & Sueviæ*, prætermissis OTTONE & ALBERTO primogenitis ITÆ ex RADEBOTONE filiis comitem WERNERUM nominat, quem acta ipsa *Murensia* celebrant monasterii statorem, accito primum ex monasterio *Einsidlensi* BURCHARDO abbate, eoque mortuo post duos annos UDALRICO ex monast. *Dissertinensi*, qui vero locum dedit B. LUITFRIDO *S. Blasii* monacho abbati *Murensi* eodem, quo WERNERUS comes an. 1096. obiit defuncto *Muris* ac sepulto secus ac opinaveram in historia *Nigræ Silvæ* T. I. p. 420.

horn, & in villa, que dicitur Lotiftetten popularem ecclefiam cum decimis fuis, & cenfuales homines cum cenfuali rure, quod fitum eft in locis Rafso, Oftrolfingen, Wechingen, Ulingen, Anfolfingen, Cimbreholz, Zila, Tanchingen cum mancipiis utriusque fexus, cum terris cultis, & incultis, vineis, pafcuis, filvis, pratis, pifcatione, aquis aquarumque decurfibus, molendinis, conquefitis, & inquirendis, & cum omnibus appendiciis eorum. Quia vero locum Ecclefie tum pro fui amenitate, tum quia iure hereditario ad nos fpectat, fpeciali dilectione amplectimur, volumus, & imperialis auctoritatis noftre Banno confirmamus, quod in ipfo loco apoftolica vita fecundum regulam beati Auguftini perpetualiter vigeat, nec aliquis prelatorum iam dicte ecclefie novam fectam inducere, aut ordinem apoftolice vite, quem nos fingulari quadam veneratione amplectimur, audeat immutare, fratribus autem in fepe dicta ecclefia Deo militantibus hac privilegii noftri emunitate libertatem concedimus, ut prelato ipforum viam univerfe carnis ingreffo, ipfi fecundum dominum in locum defuncti, noftro, noftrorumque fucceflorum confilio, qui de fanguine noftro fuerint, & iuftum dominium fuper eandem prepofituram habuerint, alium eligendi, liberrimam habeant facultatem. Prepofitus vero thefaurum, poffeffiones, res mobiles, vel immobiles ecclefie diftrahendi, vendendi, infeudandi, alienandi nullam habeat poteftatem, & fi aufu facrilego facere prefumpferit, honore ecclefie prepofiture privetur, & nudus fine virtute exeat, nihil de rebus ecclefie fecum deferens. Pro confervanda itaque prefati facri Collegii religione confortium, & cohabitationem feminarum in perpetuo a loco illo removemus.


Signum domini Frederici Romanorum Imperatoris invictiffimi.

Ego Chriftianus Cancellarius, & Moguntine Sedis electus recognovi.

Acta funt hec anno dominice incarnationis M.C.LXVI. Indict. XIII. regnante domino Frederico Rom. Imperatore gloriofiffimo. Anno regni eius XIII. Imperii vero XII.

Actum in Chrifto feliciter amen.

Dat. apud Auguftam civitatem XVII. Kal. Novembris.



INDEX.

A.

B.

Bea-

CUNO

GER-

Pa-

WER-

FINIS.

Corrigenda.

Pag. 7. in marg. pro *matre* lege matri.
29. lin. 19. pro *eclebraret* lege celebraret.
31. lin. 5. pro)a lege a)
64. lin. 12. pro *primi* lege prima.
67. lin. 13. pro *dimissuram* lege dimissurum.
79. lin. 13. pro *aliquod* lege aliquot.
91. in not. lin. 1. pro *extricare* lege extricari.
92. lin 10. pro *ad modum* lege admodum.
96. lin. 13. pro *fit* lege fit.
122. lin. 10. pro *forme* lege ferme.
133. lin. 12. pro *Herzogenbufcb* lege Herzogenbuchse.
153. lin. 28. pro *eponat* lege componat.
Ibid. lin. 33. pro *vici* lege vice.
154. not. a) lin. 9. pro 1063. lege 1093.
Pag. 156. lin. 9. pro *ipse* lege ipso.
Ibid. lin. 17. pro *archicancellari* leg. Archicancellarii.
Ibid. lin. 27. pro *ecclesia* lege ecclesiæ.
158. lin. 8. pro *est* lege &.
Ibid. lin. 22. pro *Herzogenbufcb* lege HERZOGENBUCHSE.
160. not. a) lin. 18. pro *Couonem* lege Cuononem.
Ibid. not b) lin. 13. pro *est*, *hæc* lege est. Hæc.
163. not. b) lin. 2. pro *hoc principum* leg. hoc. *Principum*.
Ibid. col. 2. lin. 2. pro *nomine* . . . lege nomine Itam . . .
164. not. col. 2. lin. penult. pro *Muris* ac lege ac *Muris*.

